ſervire Dæmoni, quam in cœlis cum Jeſu Chriſto regnare? Quid eſt mors niſi tranſitus ad immortalitatem? Numquid licet nobis, quin ex hac vita egrediamur, æternæ vitæ poſſeſſionem adire? Qui putant ſe in hoc mundo beatitudinem invenire poſſe, hi cupiunt plurimorum ſæculorum ſpatio vitam producere: nos autem, qui cum ſimus Chriſtiani nullum infeſtiorem habemus inimicum mundo; quomodonam illum poſſumus non odiſſe? Quomodonam non magis, magiſque jungimur Salvatori, qui vicit mundum ſuum, ac noſtrum acerrimum hoſtem? *Ex iiſdem.*

Cùm mors evitari nequeat debemus noſmet divinæ voluntati ſubjicere.

Temporum Dominus ita ſingulis & vitæ diuturnitatem, & mortis momentum conſtituit, ut nullo modo fines, quos ipſe præſcripſit, liceat tranſilire. Si igitur moriendum eſt, quodnam moriendi tempus eſſe poteſt optatius illo, quod Deus ipſe conſtituit? Quicumque regimen ſuum, ut debet, divinæ Providentiæ permittit, non aliud profecto mallet, neque enim ullum hoc aptius cognoſcet. Præterea ſapiens debet, ubi fieri poteſt, neceſſitatem in meritum ſibi convertere, & conari, ut non ægre, ſed libenter ea ſubeat mala, quæ evitare non poteſt. Hoc pacto mala ipſa eidem fiunt minus moleſta, & inde maximas percipit utilitates. Quemadmodum igitur ex malis omnibus corporis teterrimum eſt mors; ſi hanc libenter ſubimus, magnum Deo ſacrificium offerimus; atque inde plurimum gratiarum ad bene moriendum acquirimus. Voluntaria hac ſuimet ipſius oblatione non modica perſolvitur pars eorum, quæ divinæ juſtitiæ debemus, & hæc ſpecies eſt Purgatorii, quæ efficit, ut illud alterius vitæ vel minus auſterum ſit, vel minus diuturnum. Mors denique bonos adducit eo, ubi Deum nequeant offendere. Eos in æternum tentationibus eripit, eiſque vitæ hujus labores in æternam requiem convertit. Quam ob rem Sapiens affirmat, *meliorem eſſe mortis diem die nativitatis*. Et jure: naſcimur enim, ut pugnemus, ut laboremus, ut moriamur: morimur autem, ut quieſcamus, ut lætemur, ut in æternum vivamus. Juſtus non moritur, niſi ut felix in æternum vivat, & mors ejus ſemper in conſpectu Domini glorioſa ſine ulla comparatione melior eſt vita, quam amittit, quæ fluxa, & fragilis eſt, ac plurimis malis referta. *Ibidem.* *Eccli. 7.*

Quodnam erit in hora mortis periculum eorum, qui mundo huic adhæſerunt.

Quid eveniet, Domine morienti, qui mundo huic adhæſit adeo, ut illum amittens adhuc eum diligat! Momento ſemet intueri omnibus rebus generice, & in æternum nudatum ſub perſpicaciſſimis oculis, ſub omnipotenti manu Judicis irreconciliabilis, & irritati, in profundo ſilentio, in quo Deus tantum auditur, quis intelligere poſſet quinam tunc ſit Principum virorum, atque ſectatorum mundi ſtupor; cum dicto citius gradum fecerunt ad ſtatum adeo novum, atque terribile? Ad id cogitemus; amoveamus a nobis triſtiſſimas haſce conſiderationes; huc tamen redibimus, & cum ſummo noſtro detrimento, ſi huic inviti redibimus. Sepulcrum erit veluti ſcopulus horum omnium phantaſmatum, quibus diſtinemur, & adeo valide terræ huic adnectimur. In ſcopulum hunc alliſa confringentur, oculiſque noſtris nihil obverſabitur, niſi hic Deus ultor, cui diſtrictam reddituri ſumus rationem eorum etiam operum præteritæ vitæ, quæ nos fallunt, & vix percipi valent; & felix, vel infelix æternitas quæ tunc erit inchoanda. Modo terram amamus, & quidquid pulchrum, ac jucundum nobis exhibet mundus; intra paucos annos, intra paucos dies, & celerius etiam fortaſſe ex his omnibus, quibus in præſentiarum mens noſtra occupatur, ne unum quidem erit, quod non elabatur nobis, atque in omnem æternitatem non fugiat a nobis. Omnem ſenſum amiſiſſe, omnemque abjeciſſe Religionem dicendus eſt, qui adeo terribile futurum minime prævidet. Morienti omnia præterierunt, ipſe etiam fatali hoc momento præterit. *Pater la Peſſe tomo 5.*

Deſcriptio cadaveris in cubili magnifico jacentis.

Quidnam quæſo eſt corpus hoc, quod univerſam vanitatem noſtram, & quodammodo ſpem omnem terrenam ſuſtinet? Quid, inquam, futurum eſt de corpore hoc in ſepulcro? Quid nobis cogitandum eſt de fragili infirmitate noſtra, cum aliquod cadaver intuemur? Vix perſona hæc adeo nitens, jucunda, ab omnibus in honore habita, omnibuſque numeris abſoluta expiravit, cum nemo ad eam audet amplius accedere. Illam quam primum domo extrudere cogitatur; linteo tamquam intolerabile objectum contegitur. Statim ea mandantur, quæ ſunt neceſſaria, ut viventes eo liberentur fœtore, quem exhalat, ac terrore, quem inſpirat. Horribile hoc corpus non multo poſt in terræ viſceribus abſcondetur, ne putidis exhalationibus ſuis tabo viventes inficiat. Reperiam ne verba ſatis ſignificantia, ut vobis exhibeam corruptionem, qua jam incipit abſumi? Cur timeam vos vobiſmetipſis oſtendere? Nulla mihi habenda ratio eſt veſtræ vel mollitiei, vel ſuperbiæ. Auferte funebre linteum, quo hæc horribilis tegitur imago; & hoc ſpectaculum nonniſi horrorem vobis immittet. Hæc non eſt amplius figura illa vividioribus animata coloribus, quæ terreſtre numen aliquod videbatur. Hic terminus eſt admirabilis formæ illius, illius gloriæ, & deliciarum, in quibus ſupremam felicitatem noſtram collocaveramus. *P. la Peſſe Tomo 5.*

Mortis oblivio in peccatore moriente primus eſt divinæ ultionis effectus.

Primum divinæ ultionis in peccatorem morientem telum eſt punire oblivionem mortis, in qua vixit. Si attente conſideraverimus hoc Dei erga nos conſilium; ejus juſtitia nulla in re terribilis ita videbitur, ut in Sententia, quam contra homines protulit, eos morte condemnans. *Terribili, & ei, qui aufert ſpiritum Principum: terribili apud Reges terræ.* *Pſal. 75.* Damnatio hæc illum Regibus terræ terribilem efficit; ſed ex hominibus cunctis mors videri debet maxime terribilis peccatori; quia mors hujus principium eſt miſeræ æternitatis. Quamvis omnes haberet excogitabiles cauſas trepidandi ad mortis memoriam, ille ſeſe omnibus dedit flagitiis; Dei legem contempſit; ſemper a ſe mortis cogitationem amovit; credere noluit futurum, ut aliquando caderet ſub ultori gladio divinæ juſtitiæ. Ultio prima, quam ſumpturus eſt Deus de hac mortis oblivione, hæc eſt, ut repente eadem morte opprimatur, illius qui oblitus eſt. Æquum eſt, ut malum ſpretum repente irruat in caput eorum, qui ſpreverunt illud, ejuſque cogitationem procul avertere conati ſunt. Peccator imprudens qui neglexit animum advertere ad momentum hoc terribile, & decretorium, ex hac prima Dei ultione diſcet cauſas, propter quas illi mors erat timenda: *Aſcendam ad terram abſque muro*, dicit Deus per Prophetam, *veniam ad quieſcentes, habitanteſque ſecure.* *Ezech. 38.* Veniam ad peccatores qui ſe in tuto eſſe inter graviſſima ſcelera opinantur. *P. la Peſſe Tom. 1.*

Mors nobis oſtendit terrenarum rerum vanitatem.

Heu! Deus, quid ſumus? & ſemper inanibus magnitudinis conceptibus paſcimur! Quot nugæ inutiles! quot chimæræ! Mors una nobis nos tales oſtendet, quales ſumus. Quælibet alia tabula, nobis fucum facit, & fallit. Sed quam triſte eſt, ſe tantum in fatali hac hora, & decretorio mortis momento, cognoſcere? Ante aliquot dies, perſona hæc valetudinis plena ſuavitatibus opulenti muneris, & orientis fortunæ aura fruebatur; hilaris, læta in omnibus voluptuariis cœtibus emicabat; erat omnium mundanarum feſtivitatum anima, ſexcentis inanibus cogitationibus referta, ut ſuæ ſatisfaceret ambitioni nihil inauſum, intentatumque relinquebat: & inopinatus eventus, febris primum quidem levis, mox autem violenta omnia illius evertit conſilia, totum hunc nitorem extinguit, ſpem omnem abrumpit; & figura hæc adeo elegans, idolum hoc mundi brevi in horridum mutatur cadaver, non ferendum oculis illorum etiam, a quibus tamquam numen quoddam æſtimabatur. *P. Croiſet Tomo 2. ſuorum Receſſuum.*

Senſus mundanæ mulieris in hora mortis.

O Deus! Quam perſpicue videtur in facie, oculiſque morientis mulieris, nativa imago vanitatis vitæ hujus, & nihili omnium horum phantaſmatum magnitudinis, & vanitatis, quibus mundi ſectatores paſcuntur! Quam pura in luce renidet noviſſimo vitæ hujus momento ridiculum nugarum noſtrarum, & omnium dogmatum mundi hujus; ſed funeſtiſſimum eſt id intelligere, cum dies occidit.... Quonam abierunt illi voluptarii cœtus! Heu! non amplius niteo; alia neſcio quæ in locum meum ſuffecta eſt. Sereni dies præteriere; omnes ſæculi deliciæ pro me extinctæ ſunt. Cognati, amici, filii, ego nihil amplius ſum vobis. Mortis horrores me premunt. Me deficere ſentio. Morior. En igitur momentum æternæ ſalutis meæ decretorium. O terribilis ſtatus! O formidabilis fabulæ enodatio! *Idem ibidem.*

Licet nobis promiſſa ſit immortalitas quo dolore vitam hanc relinquemus.

Non poſtrema inter cauſas, propter quas mors ab hominibus metuitur, eſt corporis ſui deſtructio. Dicat licet Philoſophia corpus eſſe carcerem animæ; anima hunc amat carcerem, eumque ita amat, ut quamvis ætas, & anni illum horribilem faciant, illa nonniſi ægre, & gravate illinc egreditur, & ſemper ſerius, quam poteſt. In carcere hoc anima captiva eſt, ſed ipſa captivitas adeo ipſi arridet, ut nihil magis, quam ut libertate donetur, extimeſcit. In carcere hoc patitur anima, & nihilominus finem paſſionum ſuarum ſpectat, tamquam malorum omnium maximum. Cum hic carcer atteritur, illa hunc ſarcit, cum hic vitium minitatur, illa hunc fulcit; cum tempus morbique hunc labefactant, illa pertinaciter hunc tuetur. Anima in hoc ſeſe munit, & numquam inde libenter egreditur, donec in eo punctum invenit, ubi poſſit habitare. Sed quam injuſte amoveamus a nobis ſeparationis hujus cogitationem, id ipſi cognoſcere poſſumus ex promiſſione immortalitatis, quam Dei filius ſe nobis largiturum recepit, ſi animam noſtram perdere voluerimus, hoc eſt noſmet in hoc mundo mortificare, ut in altero perfectam acquiramus æternitatem. *Ex Serm. P. Aurelian. t. 2.*

MORS.

BONA, ET MALA

Præparatio ad mortem; Varii Juſtorum, & Peccatorum ſenſus in morte, &c.

MONITUM.

IN ſuperiori titulo jam monuimus, argumentum hoc tam late patere, ut unico nequaquam liceurit titulo complecti, quidquid in concione de Morte diſſeri poteſt. Quamobrem poſtquam illam generatim perpendimus, eaque collegimus, quæ nota melioris Auctores de illius incertitudine dixerunt, & cur nam plerique procul arceant mortis cogitationem, quamquam aſſidue ob oculos ejus hoc objectum verſetur; hic peculiariter agimus de morte bona, de neceſſaria ad bene moriendum præparatione, de vigilantia, qua quilibet ſe ipſum præmunire debet, ne a morte occupetur.

Fatendum nihilominus eſt, ſi neceſſe fuit duos hoſce titulos ſeparare, difficile tamen eſſe illos ita ſejungere, ut alterius aliqua pars in altero non inveniatur, vel ſaltem aliquam cum altero rationem non habeat; qualis eſt impreſſio, quam mortis cogitatio vel facit, vel facere debet in animo illius, cui aliquis Religionis ſupereſt ſenſus. Verum ex ea ratione, qua iſtic de morti cogitatione, atque memoria verba facimus, palam innoteſcet, hæc a nobis afferri, tamquam medium aliquod, ac præparationem ad mortem ſancte obeundam, quod potiſſimum eſt hujus tituli argumentum.

Hoc unum addo, quod quemadmodum ut ſolide, & Chriſtiane loquamur de morte, ſæpe a theſi ad hypotheſim deſcendendum eſt, Concionatorem in duobus hiſce titulis, quos ſecrevimus, ut argumento adeo late patenti cancellos conſtituerimus, inveniri poſſe, unde ſatis, ſuperque quamlibet Concionis ideam in hoc argumentum valeat exornare.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus argumenti Synopſis.

I. DE Juſtorum morte, quæ in Scripturis dicitur ſomnus. Inter juſtos, qui hanc vitam veluti tranſitum quemdam ad æternitatem reſpiciunt, & impios, qui ita vivunt quaſi numquam eſſent morituri, hoc diſcriminis intereſt, quod illorum vita in Scripturis vigilia, & mors ſomnus vocatur; horum autem vita dicitur animæ ſomnus, quæ in corpore, tamquam in tumulo ſepulta videtur, & in morte expergiſcitur, nulla umquam in altera vita quiete perfruitura. Juxta hanc ideam, quam de Juſtorum morte nobis adſtruit Spiritus Sanctus tertio Proverbiorum capite: *Si dormieris, non timebis: quieſces, & ſuavis erit ſomnus tuus*; Sanctus Bernardus Epiſt. 105. Juſtæ concionis graphidem, & diviſionem aperit, cum ait, tria eſſe, quæ bonorum hominum mortem ſuavem, & jucundam efficiunt, per hæc verba, quæ non aliud ſunt, quam ſuperiorum Sapientis verborum explicatio: *Bona mors juſti propter requiem, melior propter propter novitatem, optima propter ſecuritatem.* 1. Juſti in morte omnium laborum finem. 2. æternæ ſalutis ſecuritatem. 3. & gaudium inveniunt, quo ob ſtatus novitatem afficiuntur, ubi ſupremi boni poſſeſſione fruuntur. Hæc concionis partitio.

Pars prima. In naturali ſomno primum quietis ſuavitas invenitur; quod primum eſt mortis juſtorum bonum; *Amodo jam dicit ſpiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis.* Apoc. 12. Labores iſti ſunt vitæ hujus calamitates, & miſeriæ, pericula, & occaſiones in æternum pereundi; quæ res Sanctorum lacrymis eliciebat, & S. Paulum impellebat, ut exclamaret: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus &c.* ad Rom. 7.

Pars altera. Alterum mortis juſtorum bonum eſt æternæ felicitatis ſecuritas, cujus adeunt poſſeſſionem ipſo mortis momento, & cujus ſolidam concipiunt ſpem, antequam etiam moriantur. Hac de cauſa nos admonet Sapiens, ne ob conſanguineorum, amicorumque mortem tantopere affligemur, qui, uti bonos decet, moriuntur, quia mors eorum nonniſi perutilis eiſdem accidere poteſt; atque Ethnicis relinquendum eſſe luctum, doloremque ob amicorum jacturam, quia nulla ſpe beatioris vitæ fulciuntur.

Pars tertia. Mortem denique juſtorum ſuavem, atque jucundam efficit inexplicabile gaudium, quod oritur ex ſtatus novitate, ad quem immediate poſt obitum migrant. *Gaudium de novitate*, Sanctus Bernardus ait; quod Sapiens cap. 7. illis indigitat verbis: *Mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis.* Quin enim loquamur de felicitate, cujus tunc adeunt poſſeſſionem; tunc illi præteritam conditionem cum recenti maxime comparant ſtatu; & quamvis cœli gaudia illis ſemper nova videantur; tamen primus earum guſtus ſumma illos afficit lætitia, non ſecus ac primum magnæ alicujus felicitatis, quæ nobis obtigit, nuntium majori nos alacritate, & gaudio perfundit: *Mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis.*

De mortis oblivione. II.

1. Graviſſima ſtultitia eſt de morte non cogitare: etenim ad hanc oblivionem excuſandam, opus eſſet 1. ut in morte nihil eſſet metuendum, nullumque in ea periculum eſſet ſubeundum: 2. ut hoc periculum ad nos nequaquam ſpectarent; & unde oriri poſſit tanta ſecuritas, quæ nos æternæ objicit calamitati: 3. ut periculum hoc tantum non eſſet, vel non tantum nobis minitaretur interitum. Illud vero, quod maximam oſtendit imprudentiam, atque ſtultitiam illius, qui de morte non cogitat, quaſi omnino fuiſſet oblitus ſe aliquando moriturum eſſe, hoc eſt, quia manifeſtum periculum eſt, de morte non cogitantem a morte occupari; quia periculum hoc ad illum ſingulariter ſpectat; & demum quia periculum hoc maxime timendum eſt: agitur enim de animæ, æternæque ſalutis jactura.

2. Graviſſima temeritas eſt velle bene mori, quin antea ad bene moriendum ulla præceſſerit præparatio; hoc enim eſt ſpem ſuam in tribus rebus conſtituere, quæ in noſtra poteſtate non ſunt, & in quibus confidere non poſſumus. 1. In Dei miſericordia, qui, ut minitatus eſt, fortaſſe tunc in interitu noſtro ridebit, quemadmodum nos in vita illum neglexigmus. 2. In Domini Miniſtris, qui nobis tunc temporis aderunt, qui vel nos nequaquam paratos invenient, vel ingenii, & doctrinæ defectu nos diſponere neſcient ad fructum aliquem percipiendum ex modico, quod ſupererit, temporis intervallo, ut bene moriamur. 3. In propria voluntate; quomodo enim ſperare poſſumus nobis ſinceram tum fore voluntatem execrandi id, quod nobis toto vitæ ſpatio fuit in deliciis? &c.

III. 1. Frequentius eſt, quam vulgo exiſtimetur, morte occupari; ideoque fidelis ſemper paratus eſſe debet, ne labatur in inſidias inopinatæ mortis, cujus tempus, locus, & genus ignoratur. Ad has autem evitandas inſidias, quas adeo moleſti exitus ſubſequuntur, unica ratio eſt ſemper eſſe paratum. 2. Non adeo facile, neque commune, ut exiſtimatur, eſt bene mori, cum toto vitæ ſpatio noſmet eidem præparare neglexerimus.

De rationibus, quibus viventes adhuc noſmet præparare poſſumus ad mortem ſancte beateque obeundam. IV.

1. Nunc faciendum eſt, quod in morte fortaſſe fieri non poterit defectu ſeu temporis, ſeu modi explendarum inevitabilium quarumdam obligationum, quas in illud uſque tempus differre periculoſiſſimum eſt, puta bona aliena reſtituere, labem alienæ illatam exiſtimationi reparare, ac tandem aliis pluribus juſtitiæ muneribus ſatisfacere, quæ mors inopina, & præceps

adimpleri nequaquam permitteret. 2. Nunc, & ultro faciendum eſt, quod neceſſario faciendum erit in morte, videlicet noxia vincula infringenda ſunt, & pravi, ſi qui contracti fuerunt, habitus exuendi, peccati occaſiones relinquendæ, cor a terrenis bonis avellendum; verbo, faciendum quidquid in morte a nobis factum fuiſſe cuperemus, & quod tunc facere, ſaltem adeo ſincere, non liceret.

V. De duobus ſalutaribus effectibus, quos cogitatio mortis producit, quorum alter eſt efficere, ut chriſtiano homine dignam vivamus vitam; alter vero, ut moralem habeamus ſancte moriendi certitudinem. Quoad priorem effectum ajo, frequentem mortis cogitationem efficere, ut chriſtiane vivamus: 1. quia terrenarum rerum detegens illuſionem, illinc cor noſtrum avellit; quod præcipuus eſt gradus perfectionis. 2. quia nobis perſuadens, in ſingula momenta nos mori poſſe, efficit, ut conſcientiæ noſtræ conſulamus, peccatum vitemus, & metuamus; opera bona exerceamus & in æternitatem merita congregemus. 3. quia nobis in mentem revocat ea, quæ mortem ſubſequuntur, videlicet judicium, in quo omnium actionum noſtrarum rationes nobis erunt reddendæ; præmiorum, pœnarumque æternitatem, quæ quidem validiſſimæ rationes ad chriſtianam vitam ducendam impellunt.

Quoad alterum effectum, quod nempe frequens mortis cogitatio moralem conferat ſancte moriendi certitudinem: 1. Hæc ſanctam nobis inſpirat in divina miſericordia confidentiam finalem obtinendi perſeverantiam, quam Deus numquam illis negat, qui bene vixerunt; & in bonorum operum exercitatione ad mortem uſque perſeverarunt. 2. Facit, ut patienter vitæ noſtræ finem præſtolemur, & voluntaria mortis acceptatione, quamvis illa ſit inevitabilis neceſſitatis, Deo ſacrificium offeramus. 3. Facit quodammodo, ut in anteceſſum noſtris moriamur affectibus, amori proprio, ac iis omnibus, quæ nobis dolorem poſſent afferre, vel efficere, ut in mortis articulo metueremus.

VI. 1. Frequens cogitatio, & ſeria mortis meditatio efficit, ut mortem hanc prævertamus bona, ſanctaque vita, quæ effectus eſt prudentiæ vere chriſtianæ. 2. Nos confirmat contra mortis terrores, atque inſultus, poſtquam effecit, ut familiaritatem, ut ita dicam, cum hoc objecto, quod omnium maxime terribile eſt, inierimus. 3. Efficit ut illam non ægre, & gravate excipiamus, jam parati, ac præmuniti contra ea, quæ aliquem illius timorem nobis poſſent incutere.

VII. 1. Sæpe de morte cogitandum eſt, ut chriſtiane vivamus. 2. Ardentibus, ſollicitiſque votis mors eſt expectanda, ut ſimus perfecti Chriſtiani. 3. Cum alacritate, perfectaque ſubmiſſione recipienda eſt, ut Sancti, & prædeſtinati moriamur.

VIII. De inexpectata morte, qua ne occupemur imparati, providendum eſt.

1. Nihil vulgatius eſt morte inexpectata, quia homines vulgo mortis ſeſe præparare negligunt. 2. Nihil terribilius, propter manifeſtum moriendi in peccato periculum. 3. Nullum æquius ſupplicium illis, qui ſeſe morti diſponere, ac de illa dum vivunt, cogitare contemnunt.

IX. De bonis, quæ nobis procurat mors, & quæ probant eam cupiendam eſſe potius, quam metuendam; quod de bona morte intelligendum eſt. 1. Mors vitæ hujus miſeriis, præſertim vero periculo, & occaſionibus peccati nos liberat. 2. Tranſitus eſt ad vitam beatiorem, nobilioremque. 3. Nos adducit ad poſſeſſionem gloriæ, quæ meritis, boniſque actionibus noſtris debita, & parata eſt.

X. 1. Juſtorum mors, quamvis ſubita, numquam inexpectata eſt, illi enim ſemper ſunt præſto, ac parati eidem recipiendæ. 2. illis ſemper utilis, & optabilis, ac pretioſa eſt qualibet ætate, & quolibet mortis genere occidant.

XI. De Morte peccatorum, in qua tria ad peccatorem morientem torquendum conjurant.

1. Præteritum, deſiderio bonorum, quæ poſſedit, & quæ invito relinquenda ſunt. 2. Præſens vi malorum, quæ patitur, & quibus cedere debet. 3. Futurum, juſto metu damnationis æternæ, quam meritus eſt, & cui ſe videt expoſitum. *Deſumptum ex Quadrag. P. Girouſt.*

XII. 1. Mors eſt neceſſarium homini ſacrificium, ſed in Chriſtiano voluntarium eſſe debet, 2. Sacrificium nimis ſeverum eſt homini, ſed Chriſtiano eſſe debet ſuave, & optabile. 3. Sacrificium eſt homini turpe, ſed Chriſtiano eſſe debet glorioſum. *Ex Speciminibus ſermonum pro Quadrageſima tom. 2.*

XIII. Ut noſmet bene moriendo præparemus, tria ſunt neceſſaria.

1. Tota vita vigilandum eſt, ut mortis evitemus inſidias. 2. Jugis habenda eſt mortis exercitatio in mortificatione Chriſtiana. 3. Actiones omnes dirigendæ ſunt juxta ideam de morte conceptam. *Ex Dictionario Morali.*

1. Moriendum eſt. Veri Chriſtiani hoc meminerunt; XIV.
ideoque maturato ſeſe præparant morti, & hoc pacto vitam beato fine concludunt. 2. Mundani, ignavique Chriſtiani mortem non cogitant, ejuſque obliviſcunt; ideo fere ſemper morte occupantur, & mors eorum funeſta, & infelix eſt. *Ibidem.*

Cum mors ſit vitæ finis, nec non æternitatis prin- XV.
cipium, juxta utrumque hunc terminum conſideranda eſt. 1. Ratione termini, in quo ſumus, neceſſario nos rebus omnibus exuit; ideoque ut huic noſmet diſponamus, neceſſe eſt in anteceſſum, integre, & alacriter omnia relinquere, mors enim diu differre non poteſt. 2. Mors eſt æternitatis initium; ideoque bene concipere oportet, ex hoc momento beatam, vel infelicem pendere æternitatem: huic momento finalem adhærere perſeverantiam; cumque ſemel tantum moriamur, non poſſe hominem umquam ſe ſatis ad bonam mortem præparare.

De Communi hominum cæcitate circa mortem. XVI.

1. Cum certi ſumus nos aliquando morituros, æque parum de morte ſumus ſolliciti, ac ſi immortales eſſemus. 2. Cum noverimus quanti momenti ſit bona, & ſancta mors, neque ignoremus ea, quæ malam ſubſequuntur, adeo parum laboramus noſmet ad bene moriendum præparaturi, ac ſi nihil nobis eſſet metuendum.

1. Nihil magis funeſtum eſt morte peccatorum, non XVII.
ſolum propter æternam, quæ illam ſubſequitur, calamitatem, verum etiam propter terrores, animique tumulus, quia ea, quæ viventibus voluptatem attulerunt, ac in deliciis fuere, hæc eorum maximum erunt in morte tormentum. 2. Nihil magis optandum morte juſtorum cum propter æternam, quæ illos manet, beatitudinem, tum propter gaudia, & conſolationes, quas maturato Deus illis impertit.

1. Ut naturalis mors, quam evitare non poſſumus, XVIII.
bona, ſanctaque fiat, mori debemus mundo noſmet ſeparantes corde, & affectu ab omnibus creaturis. 2. Ut ea evitemus mala, quæ pravant mortem ſubſequuntur, peccata vera pœnitentia expianda ſunt. 3. Ut ſanctæ mortis gratiam obtineamus, chriſtianas virtutes exercere debemus, bonorumque operum theſaurum congregare.

De diſcrimine mortis juſtorum, & reproborum. XIX.

1. Impii in confuſione, ac tumultu moriuntur juſti in pace, & ſecuritate. 2. Impii moriuntur in metu, amaritudinibus, ac doloribus, juſti in gaudio, & conſolatione.

Chriſtiano mortem optandam eſſe. XX.

1. Quia cum creatus ſit, ut æterna beatitudine perfruatur, nonniſi poſt mortem ſummo hoc bono frui debet. 2. Quia cum in hac vita nihil illi magis pertimeſcendum ſit, quam peccatum, nihil ardentius illi optandum eſt, quam eſſe extra peccandi periculum. 3. Quia cum hoc in mundo ſit viator, optandum illi eſt, ut quam primum in patriam perveniat.

1. Mortis fugitur cogitatio, quia mors timetur; XXI.
ego vero vobis oſtendam frequenti mortis cogitatione hunc timorem auferri. 2. Nulla umquam nimia cogitatio eſſe poteſt, quia nulla umquam nimia eſſe poteſt ad bene moriendum diligentia, & nulla nimia ſollicitudo, ad bene id faciendum, quod ſemel tantum faciendum eſt. *Pater Nepveu tom. 1. Conſiderationum.*

1. Mortis cogitatio cogitationum omnium eſt utiliſ- XXII.
ſima, & ſaluberrima, quia aptiſſima ad affectus noſtros infringendos, ac vitia coercenda.

2. Moriendi neceſſitas juſtis quidem omnium neceſſitatum eſt feliciſſima, illos enim ex hoc mortali carcere liberat, ut in æternæ beatitudinis poſſeſſionem adducat, *Ex auctore ſermonum chriſtianorum.*

1. Quam maxime refert bene mori, quia de rebus XXIII.
omnibus, & in omnem agitur æternitatem; & ſi male morimur, jactura univerſalis eſt, irreparabilis, æterna. 2. Difficile eſt bene mori; neque enim id quæritur, ut tui compos, & omnibus refectus Sacramentis moriaris, ſed ut in Dei gratia moriaris; & ſi bene vixiſti, adhuc periculum eſt, ne finalem perſeverantiam, quæ mere gratuitum donum eſt, aſſequaris. 3. Malam mortem corrigere, vel reparare impoſſibile eſt. *Pater de la Colombiere in conſiderationibus.*

Juſtorum in morte felicitas prorſus oppoſita eſt pec- XXIV.
catorum eodem in momento infelicitati.

1. Juſti morientes relinquunt ea tantum, quæ contempſere viventes, opes videlicet &c. vel ea, quæ fugerunt, veluti ſæculi voluptates: at hæc ea ſunt, quorum deſiderio peccatores magis in morte torquentur, & quæ graviſſimum illis inferunt dolorem.

2. Juſti in altera vita ſecum ferunt ea, quæ in hac æſtimatione ſua digna cenſuerunt, videlicet bona opera, virtutes, & merita ſua; impii vero, & peccatores ea tantum ſecum gerunt, quæ maxime relinquere mallent, hoc eſt pondus peccatorum ſuorum, debitamque illis pœnam. *Idem.*

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoreſque, unde elici copia poteſt ad propoſita Concionum argumenta pertractanda.

Sancti Patres. SAnctus Auguſtinus *expoſit. in Pſalm.* 48. in hæc verba; *Simul inſipiens, & ſtultus peribunt*, docet, opus eſſe, ut nos morti præparemus, & merita in alteram vitam congeramus.

Idem in libro, cui titulus: *Speculum peccatoris*, docet ſemper vigilandum eſſe, ne, cum mors venerit, imparatos inveniat.

Idem *de Adventu ad judicium* deſcribit infelicem impii ſtatum, ac mentis illius tumultum, cum morti proximus eſt.

Idem *Serm. 55. de Reſurrectione Domini* loquitur de inutilibus curis plerorumque hominum cum morti ſunt proximi, quin de bene moriendo ſolliciti ſint.

Idem *l.* 1. *de Civit.* docet bono viro nullum genus mortis malum, vel metuendum eſſe; & *lib.* 13. *cap.* 4. rationem adfert, propter quam adhuc morti ſumus obnoxii, poſtquam peccata aquis luſtralibus expiata ſunt.

S. Ambroſ. librum edidit *de Bono mortis*, ubi agit de bonis, quæ mors adfert, & malis, quibus nos liberat.

Idem *l. 2. de Vocat. gent. c.* 8. oſtendit nemini jus eſſe poſt peccatum conquerendi de vitæ brevitate, vel immatura, & præcipiti nonnullorum morte. *Et lib. 3. Hexam. cap. 7.* hoc ipſum pertractat argumentum.

S. Greg. *l. 7. Moral. c.* 14. oſtendit peccatores, qui ſibi diutinam vitam pollicentur, paſſim decipi, ac morte occupari.

Idem *l. 4. Dialog. cap.* 46. & 47. oſtendit mortis metum plurimis eſſe ſalutarem.

S. Hieron. *Epiſt. ad Cyprian. Presb.* docet, nos paratos ſemper eſſe oportere, ne morte occupemur; at e contra homines a ſe procul mortis cogitationem amovere, ac ſe diutius victuros ſperare.

In Euſebii Epiſtola ad Damaſum Papa de Sancti Hieronymi obitu leguntur Sancti hujus Doctoris ſenſus, cum animam erat efflaturus.

Sanctus Chryſoſtomus *Homil. 5. in cap. 5. Epiſt. 1. ad Theſſalon.* rationem reddit, quare Dei filius voluerit, mortis noſtræ diem nobis eſſe exploratum,

Idem, vel Auctor operis imperfecti in S. Matthæum hoc ipſum tractat argumentum.

Idem Sermone 3. in Epiſt. ad Philipp. & in hæc verba Epiſtolæ ad Theſſalonicenſes: *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus*, varie hoc tractat argumentum.

Sanctus Baſilius *Homil. 17. in Pſalm.* 115. in hæc verba; *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus*, oſtendit ob juſtorum mortem gaudendum eſſe potius, quam plorandum.

Idem in libro, cui titulus: *Admonitio ad filium Spiritualem*, docet, non expectandum eſſe tempus ſenectutis, ut nos morti præparemus, ſed hanc ſemper animo noſtro obverſari debere.

Theodorus Studita inter catechiſticos ſermones plures habet, ubi de mortis memoria agit; primus, tertiuſque ſupra vigeſimum oſtendunt, mortem ſeria pœnitentia eſſe prævertendam; 33. 88. & 170. circa idem argumentum verſantur.

S. Bernardus in quodam ſermone *ex variis* loquitur de terroribus, tentationibus, amariſque doloribus, quos in morte patitur, qui mala vixit.

Idem *Serm. 1. de Annunt.* ad calcem, oſtendit mortem noſtram coram Deo eſſe poſſe pretioſam.

S. Cyprianus *lib. de Mortal.* exprobrat hominem ægre, & gravate morientem.

Aſcetici, Aliique. Granatenſis *l.* 1. de Peccatorum duce c. 23. tranquilla juſtorum mortem, & deplorabilem peccatorum finem deſcribit.

Alvares de Paz *Tom. 3. de Materia Orat. Ment. Medit.* 7. agit de diſcrimine mortis Juſtorum, & peccatorum.

Recupitus libro, cui titulus *de Bona morte* agit de de rationibus eam procurandi. Liber hic tres complectitur partes, vel tractatus. Primus agit de ea cura, qua viventibus adhuc adlaborandum eſt, ut per bona opera bonam mortem obtineamus. Alter docet quid ægrotantibus faciendum. Tertius quid faciendum proximis morti.

Bellarminus 5. Opuſculorum tomo in unum congeſſiſſe videtur quidquid in hoc argumento dici poteſt.

P. Suffren p. 1. Anni Chriſtiani c. 6. art. 2. loquitur de utilitate cogitationis mortis, ejuſque ad bene vivendum neceſſitate.

P. *Saint Jure* lib. 3. de cognitione, & amore Domini noſtri *cap.* 24. & *ſeq.* de bona morte, deque modo ſeſe eidem præparandi agit.

P. Haineuve libro, qui inſcribitur *Magna via, quæ Mundum perdit*, oſtendit quam funeſta ſit mors in peccato mortali.

Eſſais de Morale in tomo 4. de quatuor finibus hominis fuſius de morte ſermo eſt, & in tomo 10. tractatum invenies de præparatione ad mortem.

P. Guilleminot in libro, cui titulus, *Sapientia Chriſtiana* cap. 24. in prima veritate oſtendit nihil impiis funeſtius morte; & in ſecunda veritate oſtendit beatam eſſe mortem, quam bona vita præceſſit.

P. Croiſet in ſeceſſu, & ſecundo ſpiritualium Conſiderationum tomo agit de mortis cogitatione.

P. Novet in ſexto Meditationum volumine in Seceſſu quodam agit de præparatione ad mortem.

P. Craſſet librum edidit, qui inſcribitur: Conſolatio contra terrores mortis.

P. Lallemant S. Genoveſæ Religioſus tractatum edidit de Præparatione ad mortem.

De S. Martha Presbyter ſecundo operum tomo tractatum habet de conſanguineorum morte cum plurimis animadverſionibus.

Abbas Trappenſis Tom. 1. de Monaſticæ vitæ officiis cap. 13. oſtendit mortis cogitationem Religioſo utilem eſſe, & neceſſariam.

Idem Tom. 1. Collationum in feſtum circumciſionis diem loquitur de præparatione ad mortem, & modis ſeſe præparandi.

Idem variis in locis effatorum ſuorum loquitur de morte cum generaliter, tum particulariter.

P. Nepveu librum edidit de præparatione ad mortem, ac ſeſe eidem præparandi ratione.

Idem in Conſiderationibus pro ſingulis anni diebus Tomo 2. oſtendit diſcrimen inter juſtorum, & peccatorum mortem. Et tomo eodem, ſed alibi, unice loquitur de morte peccatorum. In tomo 3. de mortis inſidiis agit, & tom: 2. mortem non eſſe metuendam oſtendit.

Liber Paſſionum Domini noſtri verſus finem plures ſuggerit modos bene moriendi.

Quicumque de Succeſſibus, vel meditationibus in Chriſtianas veritates egerunt, de bona, malaque morte locuti ſunt, & præterea infiniti propemodum alii Aſcetici, quos referre inutile foret.

Reina *conc.* 26. fuſius agit de bonis, quæ nobis mortis cogitatio procurat. Recentes Concionatores.

Idem *conc.* 27. egregias habet ſententias de morte Juſtorum, de felicitate, quæ illam ſubſequitur; ac docet illis non eſſe timendam.

Mathias Faber *in Domin. 15. poſt Pent. conc.* 5. de arte bene moriendi verba facit.

P. Texier ſermone pro feria quinta poſt alteram Quadrageſimæ Dominicam agit de mala morte Chriſtiani, qui male vixit.

Idem in Adventu de Impio infelici, alterum habet ſermonem de mala morte peccatorum.

Idem ſermone pro feria quinta poſt quartam Quadrageſimæ Dominicam ſimul de juſtorum, & peccatorum morte loquitur.

Maimbourg ſermone pro feria ſecunda poſt ſecundam Quadrageſimæ Domin. agit de morte in peccato.

Idem pro feria quinta poſt quartam Dominicam loquitur de mortis contemptu.

P. Bourdalove in veris ſermonibus pro feria 4. Cinerum eloquenter agit de effectibus, quos in nobis parit mortis cogitatio.

P. De la Colombiere, *Tomo 3. ſerm.* 50. agit de neceſſitate præparandi ſe ad mortem. Quod ipſum argumentum tractat in ſermone pro die Defunctorum.

P. Maſſillon in ſermonibus, qui ſub ejus nomine circumferuntur, unum habet de bona morte.

Abbas de Monmorel Homiliam, & ſermonem edidit de bona, & mala morte in Evangelium Dominicæ 15. poſt Pentecoſten.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta in Dominicali tomo 4. ſermonem habet de morte juſtorum.

Idem in Tomo eodem alium habet de infelici morte impiorum.

Idem in primo tomo Quadrageſimæ agit de morte in peccato.

Idem ſermone pro feria 6. poſt 4. Quadrageſimæ Dominicam integrum habet ſermonem de præparatione ad mortem.

Idem *tom.* 4. *Domin.* ſerm. pro 15. poſt Pentec. Dominica oſtendit a vita pendere mortis noſtræ qualitatem, & viciſſim vitæ noſtræ qualitatem a mortis cogitatione pendere.

In Morali Dictionario titulo de morte duo ſunt ſermones, in quorum altero oſtenditur, moriendum, & bene moriendum eſſe; in altero vero agitur de morte juſtorum, & peccatorum. Ibi habetur etiam ſermo de præparatione ad mortem.

In ſpeciminibus ſermonum pro Dominicis in 9. Dominic. poſt Pentecoſt. agitur de triplici inimicorum genere peccatorem morti proximum obſidentium.

In iiſdem pro Quadrageſima argum. 3. pro feria quarta Cinerum ſermo eſt de præparatione ad mortem.

In iiſdem ſermone pro 15. poſt Pentec. Domin. ſermo eſt de utilitate cogitationis mortis, & in altero argumento de iis agitur, quæ acerbam mortis imaginem lenire poſſunt.

In ſermonibus Dominorum de la Volpilliere, Fromentiere, de S. Martino, aliorumque plurimorum optima quædam inveniuntur ad præparationem morti & de morte juſtorum, ac peccatorum ſpectantia.

Qui collectanea hujus argumenti ediderunt.

Granatenſis in locis Communibus.

Buſæus in Panario titulo *Mortis Metus*, & in libro *de Statibus* tit. *de Statu Morientium*.

Drexellius, *Prodromus mortis*.

Summa Prædicantium.

Labatha, titulo *Mors*.

Lohner, titulo *Mors*.

Culena, in theſauro locorum Communium.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

MOriatur anima mea morte juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia. Numer. 23.

Mors peccatorum peſſima. Pſalm. 33.

Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus. Pſalm. 115.

Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini. Pſalm. 126.

O mors quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis! Eccli. 41.

Juſtus ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Sapient. 4.

Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur. Eccli. 1.

Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Jobi 14.

Memor eſt quoniam mors non tardat. Eccli. 14.

Conſummatus in brevi explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. Sapient. 4.

Væ vobis viri impii, qui dereliquiſtis legem Domini Altiſſimi; ſi mortui fueritis, in maledictione erit pars veſtra. Eccli. 41.

Mortuo homine impio, nulla erit ultra ſpes: & expectatio ſollicitorum peribit, Proverb. 11.

Ante obitum tuum operare juſtitiam: quoniam non eſt apud inferos invenire cibum. Eccli. 14.

Diſpone domui tuæ, quoniam morieris tu, & non vives. Iſaiæ 38.

Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas. Eccli.

Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. Sapient. 4.

Juſtorum animæ in manu Dei ſunt; & non tanget illos tormentum mortis. Sapienr. 3.

Mortuus eſt Zambri in peccatis ſuis, quæ peccaverat faciens malum coram Domino. 3. Reg. cap. 16.

In fine hominis denudatio operum illius. Eccleſ. 11.

Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. Eccleſ. 11.

Mortuus eſt (David) *in ſenectute bona, & plenus dierum, & gloria.* 1. Paralip. 29.

Ne timueris cum dives factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus ejus: quoniam cum interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria ejus. Pſalm. 48.

Vigilate, quia neſcitis diem, neque horam. Matth. 25.

Eſtote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. Luc. 12.

In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis. Eccli. 7.

Si non vigilaveris, veniam ad te tamquam fur, & neſcies qua hora veniam ad te. Apocal. 3.

Ego autem in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo. Proverb. 1.

Beati mortui qui in Domino moriuntur. Apocal. 14.

Amodo jam dicit Spiritus ut requieſcant a laboribus ſuis, opera enim illorum ſequuntur illos. Ibid.

Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contriſtemini ſicut & cæteri, qui ſpem non habent. 1. ad Theſſal. 4.

Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Ad Roman. 7.

Coarctor, deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Ad Philipp. 1.

Dum ſumus in corpore, peregrinamur a Domino .... Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præſentes eſſe ad Dominum. 2. ad Corinth. 5.

Beati ſervi illi, quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes. Luc. 12.

Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo. Pſalm. 141.

Exempla ex Veteri, Novoque Teſtamento deprompta.

Balthaſar exemplum mortis funeſtæ.

DIcere poſſumus, pleroſque peccatores in ſceleribus ſuis mori, quemadmodum mortuus eſt Rex Balthaſar, cujus funeſta mors in Bibliis deſcribitur. Rex iſte magnifico excepit convivio aulæ ſuæ Satrapas. At quam putas hujus convivii cauſam extitiſſe? Num inſignis aliqua de hoſtibus relata victoria? Num Provincia aliqua ſuo adjecta imperio? Num principis alicujus nativitas, an ſolemnitas pro Regis honore, atque proſperitate? Nil tale in cauſa fuit; quinimmo Balthaſar in urbe hoſtium innumeris copiis obſidebatur; eoque dementiæ proceſſerat, ut comeſſationibus, compotationibuſque vacaret, cum jamjam in hoſtium manus eſſet venturus: *In tantam venerat Rex oblivionem ſui, ut obſeſſus vacaret epulis.* Hieron. in cap. 5. Dan. Cum tot ſtrenui duces, militeſque cruorem, & vitam pro eodem tuendo profunderent, cum funeſta, ac turpis illi mors immineret, ipſe interim menſæ accumbebat inter pellices ſuas rationem in poculis, obſcœniſque libidinibus immergens. Vix id credas: verum nihilominus eſt, pleroſque peccatores in ſimilibus circumſtantiis morte occupari. Jam in lectulo ad mortem jacent, hoc quoque poſito, quod funeſto caſu aliquo minime deprehendantur, qui illos ipſis ſcortationibus, ganeiſque deprehenſos conficiat, quod non raro accidit: Jacent inquam in lectulo ad mortem, conſcientiam onuſtam habentes longa criminum ſerie; mentem veritatis, & religionis etiam fortaſſe contemptu excæcatam; cor tranquillo voluptatum uſu, vel impia præſumptione, quæ illis nefariæ mortis horrorem abſcondit, obduratum. Numquam animum appulerunt, ut ad bene moriendum ſe præpararent; mors eorum improviſa eſt, & credi poteſt non æque funeſta, ac illa infeliciſſimi Balthaſar? *P. la Peſſe ſermone de morte in peccato.*

Pœna Iſraelitarum in ipſa intemperantia ſua mortuorum.

Peccatorum plerique morte occupantur non ſecus ac Iſraelitæ murmuratores, ac rebelles, de quibus ſermo eſt in libro Numerorum cap. 11. Inſultaverant illi Deo, & Moyſi, quia eam, quam cupiebant eſcam, non habebant. Hæc illis conceſſa fuit, eamque adhuc habebant in ore, cum ira Domini ſuper illos deſæviit. Ita quoque peccator cum ſua brutali cupiditate in corde morietur; morietur adhuc guſtans crudelem ſuæ iniquitatis mercedem, adhuc ebrius, vel non ſatis ſui compos propter intemperantiam; adhuc exhalans fel odii ſui, atque vindictæ: *Adhuc eſcæ eorum erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatus eſt in populum.* Pſalm. 77. *Idem.*

Mors Sancti Patriarchæ Abrahæ.

Noviſſima cura Sancti Patriarchæ Abraham, antequam e vivis excederet, fuit, uti in Sacris Bibliis narratum eſt, prævertere jurgia, & lites, quæ inter filios ſuos poterant oboriri, & adhuc vivens omnia illis tanta ſapientia partiri, ut alii filii, quos poſt Saræ deceſſum ex alia conjuge genuit, Iſaaco litem intentare non poſſent, neque illi auferre ejus terræ particulam, quam Deus eidem promiſerat. His rite diſpoſitis in pace, & ut ſacer Textus inquit, plenus dierum in beata ſenectute quievit. Hæc ea ſunt, quæ de incomparabili hoc viro inquit, cujus fideles nullum habuit exemplum, & cujus gloria, uti Sapiens Eccl. 44. addit, nullam partem invenit: *Non eſt inventus ſimilis illi in gloria.* Vixit tamquam inquilinus in terra, & quo magis a mundi hujus bonis animum evellebat, eo magis Deus illum opibus cumulabat, eique Spiritus Sanctus præclarum hoc perhibet teſtimonium, quod rebus in omnibus ne latum quidem, ut ajunt, unguem a Domini lege declinaverit; Quamobrem mors illius beata fuit, quemadmodum tota vita fuerat ſancta.

Mors magni legiſlatoris Moyſis.

Spiritus Sanctus inquit, Moyſem *in Oſculo Domini* obiiſſe, vel ut alia habet lectio, *ſuper os Domini.* Deut. 34. Morienti parum optandus fuit ingreſſus in terram lacte, & melle manantem, quippe Deum habebat in corde, & alebatur ſpe regionis alterius, cujus nonniſi leviſſima erat imago terra Chanaan. Sed a ſemetipſo quoque noviſſimis illis momentis divulſus, ut de ſuo tantum populo cogitaret, nullam pro ſe peculiariter Deo obtulit orationem, ſed unice illum obteſtatus eſt, ne tantam hominum copiam veluti gregem ſine Paſtore relinqueret. Ita ad extremum uſque ſpiritum ſuum zelum præ ſe tulit, atque oſtendit maximam ſervi Dei curam, zelumque pro ſalute proximi ſui in ipſa morte fuiſſe, poſt ſe ſucceſſorem relinquere, qui Dei ſpiritu actus perficeret opus illud, quod ipſe Deo auctore inchoaverat.

Mors Joſue.

Joſue mors oſtendit Deum, ex quo ab omnibus eam recepit operam, cui fuerant deſtinati, ex hoc mundo illos auferre, ut eorum fidelitatem, laboreſque remuneretur. Cum enim Joſue Chanaanitidem ſuperaſſet, eamque populo univerſo diſtribuiſſet, dicere poterat Deo, quod deinde Mundi Salvator jamjam mortem ſubiturus, *Conſummatum* videlicet fuiſſe opus ſibi imperatum. Itaque finem ſibi imminere præſentiens Moyſem prædeceſſorem ſuum imitatus omnes collegit vires ſuas, ut populo univerſo Dei legem legeret, illum ad ejus obſervantiam hortaretur, atque ad inſtaurandum cum Deo fœdus olim percuſſum impelleret. In hoc quoque fuit Jeſu Chriſti figura, qui antequam moreretur, prolixam habuit apud Diſcipulos ſuos orationem, qua illos ad Dei ſervitutem animaret, atque ad ſuum teſtandum amorem diligenti legis obſervantia compelleret.

Mors ſenioris Tobiæ.

In Scripturis legimus Tobiam jam jam viribus deficientibus præſentientem modicum adhuc ſibi ad vivendum ſupereſſe temporis ſpatium, accerſiviſſe filium, nepoteſque ſuos, eiſque extremam ſuam voluntatem declaraſſe. Filii, inquit, proxima jam eſt mortis meæ hora, & quam primum ſum rediturus ad Deum. Si hactenus parentem veſtrum amaſtis, & coluiſtis, ne obliviſcamini, quod poſtremo vobis dico: *Audite filii patrem veſtrum: Servite Domino in veritate, & inquirite ut faciatis, quæ placita ſunt illi.* Tob. 14. Ac rebus in omnibus voluntatem illius adimplete. Hoc ipſe toto vitæ ſuæ tempore fecerat; ideoque ſancte mortuus eſt, ut ſancte vixerat.

Timor mortis, quem habuit Ezechias.

Narrat Scriptura. Ezechiam licet optimum principem, religioſumque legum obſervatorem in fletus, & ſuſpiria erupiſſe, quoniam Propheta Iſaias cap. 38. Dei nomine dixerat illi: *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu; & non vives.* Verum mementote, hunc fuiſſe Regem potentem, qui quin prorſus nequam eſſet, & peccator, ingentes nihilominus in corona inveniebat illecebras. Heu! jamjam ipſo emoriente, cor ejus illam experiebatur defectionem, quæ morientibus graviſſimos, atque incomprehenſibiles affert dolores, præſertim vero ſi tunc rapimur, cum adhuc terrenis rebus adhæremus, ac retinere cupimus objecta illa, quibus ſtipati ſumus. Tunc enim in corde noſtro fit triſtis illa querimonia Regis alterius, qui minus ſanctus erat, quam Ezechias: *Siccine ſeparas amara mors?* 1. Reg. 15.

Dei filius nos ſæpe admonuit ut parati eſſemus.

In veteri teſtamento nulla reperimus exempla, quæ metuere, vel imitari poſſimus; ſed eorum loco Dei filius ſæpe nos admonet, ut parati ſimus in extremam hanc horam. Plures hujus argumenti propoſuit parabolas, pluribuſque uſus eſt ſimilitudinibus, atque comparationibus, ut nobis perſuaderet, mortem ne cogitantes quidem nos eſſe occupaturam; ita ut voluiſſe videatur, mortem jugiter oculis, animoque noſtro obſervari. Tribus publicæ vitæ ſuæ annis ſæpe de morte ſua cum Apoſtolis loquebatur, & ipſo Transfigurationis ſuæ die in vertice Thabor de eadem cum Moyſe, & Helia verba facere auditus eſt. Admirabile ejus præparationis exemplum, quam adferre debemus noſtræ, quæ numquam ex animo nobis excidere debet ne iis quidem diebus, quibus proſperis rebus utimur, atque gaudio præ cæteris afficimur.

Diſcrimen mortis, qua malus dives, & Lazarus ſublati fuere.

In Sancti Lucæ Evangelio duplicem habemus deſcriptionem mortis prorſus oppoſitæ, ſive illius modum, ſive ejuſdem effectus ſpectemus, alteram quidem mali divitis, alteram vero pauperis Lazari. Illa quidem glorioſa, hæc miſera, & turpis fuit in oculis hominum, ſed longe aliud fuit de utraque judicium Dei. Ille in magnifico, floribuſque ornato cubili efflavit animam; hic incubans paleis expiravit. Ille inter cognatorum, ſervorum, atque libidinis, crapulæque ſodalium brachia humanis deceſſit; hic vero nullum, qui aſſideret, habens niſi canes ulcera tabo fluentia lingentes. Ille nobilium, divitumque corona ſtipatus, hic ab omnibus contemptus, & derelictus. Ille in deliciarum affluentia vivebat, hic egeſtate, ærumniſque oppreſſus laborabat. Verum in morte rerum omnium facies immutatur. Dives ille moritur, & in inferno ſepelitur; moritur quoque hic pauper, & in Abrahæ ſinu requieſcit.

Quorumdam Scripturæ locorum Applicationes.

VEni, & vide. Joann. 11. Verba hæc, quæ dicta fuere Jeſu Chriſto cum deduceretur ad ſepulchrum, ubi Lazarus fuerat tumulatus, quem ille ab inferis erat excitaturus, dici poſſent Mundi ſectatoribus affectionum ſuarum mancipiis: *Veni, & vide.* Vultiſne diſcere quomodo contemnendum ſit quidquid in mundo vos præ cæteris allicit? Venite, & videte quid contineatur in Principis illius, in hujus voluptuoſi hominis tumulo. Mors ibi ſatis aperte vos edocet, ſufficitque dicere vobis, venite, & videte. Aperite hoc ſepulchrum, ac ſtatim videbitis magnum illum virum, totamque illius magnitudinem, quam, dum viveret, admirabamini. Magnitudo ejus evanuit, ejuſque corpus non aliud eſt, quam exeſorum oſſium cumulus, Venite, & videte. Auferte cippum, quo dives ille clauditur, & videte, quid illi ſuperſit ex tot ſubſtantiis, atque opibus: quatuor, vel quinque terræ pedes illius pars eſt. Venite, & videte. Adoleſcentula, quam tantopere omnes admirantur, & quæ ipſa admiraris inanem illum fulgorem, quo ſepta es, in mortuorum ſchola erudire, & vide, quonam abierit forma illa, quam olim omnes ſuſpiciebant, modo in deforme, ac turpe cadaver converſa. Eheu Fideles! Hoccine eſt veſtræ æſtimationis objectum? & magnum ducitis ſacrificium ultro iis abrenunciare, quæ ex ſe tantum fragilia ſunt?

Mors, quæ peccati pœna eſt, nunc eſt medicina.

Per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit. Ad Rom. 5. Divinæ bonitatis, atque miſericordiæ effectus eſt, Sanctus inquit Auguſtinus, quod mors, quæ peccati effectus eſt, præſentiſſimum modo ſit ejuſdem remedium, & vitiorum noſtrorum pœna valida nobis arma miniſtret, quibus virtutes noſtras tueamur: *Per miſericordiam Dei pœna vitiorum tranſit in arma virtutum.* Ita patres noſtri, idem pergit Auguſtinus, mortui ſunt, quia peccarunt; nos vero a peccatis abſtinemus, quia morituri ſumus. Sequamur ergo, Doctor idem concludit, ſententiam hanc, & morte utamur, ut noſmet præſervemus a crimine: *Utatur ergo homo pœna ſua, & bene utatur malo ſuo, ut proficiat bono ſuo. Ipſi mortui ſunt,* de primis parentibus loquitur, *quia peccaverunt: iſti non peccant,* loquitur de aliis hominibus, *quia moriuntur.* Patres ſubiere mortem, ſupplicium videlicet, quod meriti ſunt, quia peccarunt; filii vero per ipſam pœnam a peccato præſervantur.

Si ſæpe de morte cogitaremus, aliter viveremus.

Non eſt reſpectus morti eorum, ideo tenuit eos ſuperbia. Pſalm. 72. Si ſæpe mortem cogitaremus, humilitatis dumtaxat, atque annihilationis cogitationes conciperemus; pulvis ſum, & revertar in pulverem. Eas nobis interdiceremus volutates, quarum finem adeo funeſtum eſſe cognoſcimus; abdicaremus vanitates, & pompas, quarum fragilitatem, & nihilum non ignoramus: Si mortem cogitaremus, Dei ſevera judicia metueremus, ac ſub terribili manu illius totis artibus contremiſceremus. Denique ſi mortem cogitaremus, ea faceremus, quæ ſæculis omnibus veri fideles fecerunt, quæque faciebat Sanctus vir Job, cum in lacrymas effuſus dicebat, cap. 14. *Expecto donec veniat immutatio mea.* Diceremus id, quod David pœnitens dicebat: Pſalm. 119. *Heu mihi, quia incolatus meus promulgatus eſt.* Væ mihi, eo quod terminus, ad quem in patria mea pervenire debeo, longius abeſt, & quod in hac terra exilii mei diutius moror. Eadem, ac S. Paulus, ſenſa foveremus, cum teſtabatur *ad Philipp.* 1. ſe unum illud optare, ut videlicet ex carcere corporis hujus ſolveretur, & viveret cum Jeſu Chriſto: *Deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.*

Veri fideles in actionibus ſuis mortem, fideles vitam reſpiciunt.

Mors operatur in nobis, vita in vobis. 2. Corinth. 4. Videtur S. Paulus hoc voluiſſe ſtatuere diſcrimen inter veros fideles, & infideles, cum ait, *Mors operatur in nobis, vita in vobis*: hoc enim idem eſt ac ſi diceret; Vitam tantummodo cogitatis, & quidquid ad vitæ hujus voluptates non refertur, vobis non ferendum videtur. Sed ipſi prorſus oppoſitos ſenſus fovemus: *Mors* operatur in nobis; mortis cogitatio facit, ut ea faciamus, quæ facimus. Si noſmet mortificamus; ſi ab illis abhorremus oblectationibus, quibus vacatis, id accidit, quia nos morituros cogitamus. Mors, quæ ex ſe

ex ſe adeo ſterilis eſt, nobis eſt motus, & actionis principium. Propter mortem hæc operamur; propter illam nihil nobis videtur difficile; ſcimus enim difficilibus rebus beatam mortem comparari. *Mors operatur in nobis, vita in vobis.*

In eo permanemus gratiæ, vel peccati ſtatu, in quo morimur.

Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. Eccleſ. 11. Horum verborum ſenſus eſt, poſt mortem hominem in æternum in eodem ſtatu ſeu gratiæ ſeu peccati permanſurum eſſe, in quo animam efflaverit: ita ut in æternum minime poſſit mutari ſtatus, in quo morientes erimus deprehenſi. Ita ſi quis moritur Dei inimicus, arbor, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. Infelix arbor; numquid tandiu nutandum illi erat, ut tandem adeo male decideret? Verumne igitur eſt, illam tot annos terram occupaſſe, illius ſucco nutritam fuiſſe, tot frondes, fructuſque tuliſſe, ut tandem igni æternum præberet alimentum? Heu! tam parum abfuit, quo minus in alteram partem caderet. Valide Spiritus Sancti flatu fuerat impulſa, frequenter in bonam partem inclinare viſa fuerat; quomodo levis aura, vocula, vana cogitatio, inanis timor tam vehementibus prævaluit afflatibus? Sed fruſtra adeo funeſtum lapſum lacrymis proſequimur; noſtra miſeratio numquam illam attollet: *In quocumque loco ceciderit arbor, ibi erit. Ex Patre de la Colombiere.*

Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Job 21. Impii, & plerique mortales vitam ſuam in deliciis, & voluptatibus traducunt, & paulo poſt morte ſe occupatos vident: *In puncto.* In ſublimiori ſuæ felicitatis puncto, in faſtigio, in cumulo ſuarum fortunarum, & in tranquilla volutatum perfruitione: *In puncto.* Hoc punctum eligit mors, & permittit Deus, ut tunc ex mundo auferantur rationem vitæ ſuæ reddituri, & ſæpe etiam inferni flammis adjudicandi: *Et in puncto ad inferna deſcendunt.*

Incipiendum eſt quotidie mori effectu mundo, antequam prorſus ab eo ſeparemur.

Quotidie morior. 2. ad Cor. c. 15. Opus eſt, fidelem cum Apoſtolo dicere poſſe, ſe mori quotidie, non ſolum quod mortis ſuæ tempus ſingulis diebus, ſingulisque momentis propius accedit; verum etiam quia in dies ſemper minus afficitur terrenis rebus, & cœleſtia ardentius inquirit. Sentio me in dies minus adhærere nugis, minorique ſollicitudine hæc terrena conquirere; ſentio minori me deſiderio teneri placendi mundo, memetipſum, & commoda mea a me minus amari, familiæque meæ progreſſum minus inquiri: *Quotidie morior.* Cur meum mihi videtur ſenſim a terrenis rebus avelli, & anima mea quodammodo paulatim a corpore ſeparari: *Quotidie morior.*

PARAGRAPHUS IV.

Sanctorum Patrum loci, atque Sententiæ hujus argumentis

Latet ultimus dies, ut obſervetur omnis dies. Auguſt. de Diſciplina Chriſti.

Mala mors putanda non eſt, quam bona vita præceſſit; neque enim facit malam mortem, niſi quod ſequitur ipſam mortem. Idem, l. 1. de Civit.

Non poteſt male mori qui bene vixerit, & vis bene moritur, qui male vixerit. Idem.

Percutitur hac animadverſione peccator, ut moriens obliviſcatur ſui, qui dum viveret, oblitus eſt Dei. Idem, Serm. 3. de SS. Innocent.

In quo ſtatu quemcumque invenerit ſuus ultimus dies, in hoc cum comprehendet noviſſimus dies; quoniam qualis in iſto die quiſque moritur, talis de die illo judicabitur. Idem Epiſt. ad Heſach.

Deus diem mortis incertum ſalubriter conſtituis: diem ultimum ſuum quiſque ſalubriter cogitet. Idem. l. 50. Homil. Homil. 13.

Qui cupit diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, non patienter moritur, ſed patienter vivit, & delectabiliter moritur. Idem, in Joannem.

Juſtis mors eſt quietus portus, nocentibus naufragium putatur. Ambroſ. lib. de bono mortis.

Quidquid facis, reſpice finem. Hieronymus ad Heliodorum.

Non eſt dignus dici Chriſtianus, qui in eo ſtatu vult vivere, in quo nollet mori. Idem Epiſt. ad Cyprian. Presbyt.

O quam magna cum fiducia moritur quem nullius rei affectus detinet in mundo! Idem.

Facile contemnit omnia, qui ſe cogitat moriturum. Idem, Epiſt. ad Paulin.

Diſces bene mori, ſi didiceris bene vivere. Auguſt. de Diſcipl. Chriſt.

Ad hoc conditor noſter latere nos voluit finem noſtrum, diemque mortis eſſe incognitum, ut dum ſemper ignoratur, ſemper proximus eſſe credatur. Greg. l. 12. Moral. cap. 19.

Quam præpoſterum eſt, quamque perverſum, ut cum voluntatem Dei poſtulemus, quando evocat nos, & accerſit de hoc mundo Deus, non ſtatim voluntatis ejus imperia timeamus. Cyprian. l. de Mort.

Non eſt exitus iſte, ſed tranſitus, & temporali itinere decurſo, ad æterna tranſgreſſus, quis non ad meliora feſtinet? ibid.

Si laudari ante gubernator non poteſt, quam in portum navem deduxerit, quomodo laudabis hominem, priuſquam in ſtationem mortis ſucceſſerit? Idem, ibid.

Fiat voluntarium quod futurum eſt neceſſarium: offeramus Deo pro munere, quod pro debito tenemur reddere. Chryſ. ſuper Matth. c. 10.

Nihil mors eſt ultra quam ſomnus, & peregrinatio, & tranſmigratio a deterioribus ad meliora. Idem, Homil. 45. in Geneſ.

Piis mors ultra non eſt mors, ſed nomen tantum habet mortis, imo & ipſum nomen ſublatum eſt. Idem ſuper Matth. c. 10.

Mors non eſt malum, ſed male mori peſſimum. Idem, Homil. 36. ſuper Matth.

Quis mortem temporalem metuat, cum vita æterna promittitur? Caſſiodor. in Pſalm. 118.

Expeditum morti genus. (*Ita Chriſtianos vocat.*) Tertull. in Apologet.

Non eſt timendum, quod nos liberat ab omni timendo. Tertull. lib. de anima.

Somnus juſtis eſt mors, imo magis tranſitus ad vitam meliorem. Baſilius de Barlaam Martyre.

Bona mors juſtis propter requiem, melior propter novitatem, optima propter ſecuritatem. Bernardus in Epiſt.

Pretioſa mors Sanctorum, pretioſa plane, tamquam finis laborum, tamquam victoriæ conſummatio, tamquam vitæ janua, & perfectæ ſecuritatis ingreſſus. Idem, ibidem.

Mors peccatorum peſſima, audi, unde peſſima; mala ſiquidem eſt in mundi amiſſione, pejor in carnis ſeparatione, peſſima in vermis igniſque duplici contritione. Idem, ibidem.

In omni opere ſuo dicat ſibi ipſi, ſi moriturus modo eſſes, faceres iſtud? Bernard. in ſpecul. Monial.

Manet impios horror in exitu, dolor in tranſitu, pudor in conſpectu magni Dei. Idem Serm. 28. de diverſ.

Si hodie non es paratus, quomodo cras eris? cras eſt dies incerta, quid ſcis forſan craſtinum habebis? De Imitat. Chriſti, l. 1. c. 23.

Quomodo vivere potes, ubi mori non audes? Bernardus, Epiſt. 105.

Egredere, quid times? Egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta prope annis ſerviſti Chriſto, & mortem times? Hieronymus, in vita Sancti Hilarionis.

Hominem invitum mori miſerrimum eſt. Anſelmus, l. 1. c. 9.

Non dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe in vita non cogitavit moriturum. Cyprianus, Epiſt. ad Antonium.

Vivite bene, ne moriamini male. Auguſtinus, Serm. 24. de verb. Domini.

Sancti viri, quia brevitatem vitæ indeſinenter aſpiciunt, quotidie morientes vivunt. Greg. l. Moral. c. 14.

Quotidie diem excitus tui expecta, qua enim horam minime putas, veniet mandatum horribile, & ve tunc imparatis. S. Ephrem de Vita Spirit.

Quaſi non moriturus, quaſi evaſurus mortem, ſic de vita diſponis. Chryſolog. Serm. 118.

Non ſubitanea morte moriuntur, qui ſe ſemper cogitaverunt morituros. Anſelm. in Elucid.

Memoria mortis eſt quotidiana mors. Joannes Climacus Grad. 6.

Sanctorum mors, non eſt mors, ſed vel ad Deum diſceſſus, vel deſiderii cumulus, vel vinculorum ſolutio, vel oneris excuſſio appellanda eſt. Gregor. Nazianz. Orat. in laudem Cypr.

Quamvis ſero de hac vita tollantur impii, ſubito & repente tolluntur, quia finem ſuum cogitando prævidere neſciunt; ſubitum eſt homini quod ante cogitare non potuit. Gregorius l. 24. Moral.

De centum millibus hominum, quorum mala fuit ſemper vita, vix meretur a Deo habere indulgentiam unus; hoc teneo, hoc multiplici experientia didici. Sanctus Hieronymus moriens, ut refert Euſebius ad Damaſum.

PARA-

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu hoc in argumento depromi queat.

Nobis utile eſt mortis horam ignorare.

SEcundum communes Providentiæ leges nemo certus eſt, vel temporis mortis ſuæ, vel modi, quo de tempore ad æternitatem migraturus eſt; quamobrem parati ſemper eſſe debemus, ut quavis hora, quovis momento ad Judicis noſtri tribunal accerſiti prodeamus. Illud vero diligentiſſime conſiderandum eſt, poſt Sanctum Auguſtinum alioſque Patres, qui argumentum hoc pertractarunt, omnes aſceticæ vitæ magiſtros docere, nobis perutilem eſſe ignorantiam fatalis ejus momenti, quo anima a corpore noſtro ſeparanda eſt. Quis enim non videt, ſi hominibus compertus eſſet vitæ ſuæ terminus, exploratæque omnes mortis circumſtantiæ, quam negligenter, & oſcitanter illos maxime eſſentialibus officiis ſuis perfuncturos? Nonne in extremum vitæ ſuæ ſpatium rejicerent bonum, quod illis ſingulis diebus eſſet faciendum? Deus autem ſecreti inviolabilis ſigno numerum dierum noſtrorum ſignavit, ut ſalutaris hæc efficeret incertitudo, ut ſingulis momentis vigilantes, & parati adventum illius præſtolaremur.

Mors aliis quidem ſuavis eſt, aliis terribilis.

Verum dicendum eſt: moriendi neceſſitas aliis quidem jucunda eſt, formidabilis aliis. Jucunda eſt juſtis, qui vitam ſuam in innocentia tranſegerunt, & qui paulatim ſemet a creatis rebus avellere incœperunt, quarum amor, & poſſeſſio ut plurimum mortem nobis formidabilem efficit. Terribilis eſt impiis, ac illis, qui mundo adhæreſcunt, quia ſeſe illis offert inſtar altiſſimarum abyſſorum, quæ terrent oculos, ac vertiginem cient. Hæc neceſſitas illis dura eſt, quibus vinculum aliquod eſt infringendum; quia nihil niſi cum violentia frangitur: at ſuavis eſt illis, qui omnes jam perfregere nexus; nihil enim eſt, quo in mundo retineantur. Qui viventes mortui ſunt mundo, morientes ut ita dicam non moriuntur; mors illis eſt vitæ fons: ſed illi, quos mors invenit adhuc viventes mundo, neceſſario mortem terribilem eſſe ſentiunt, & mors pro illis eſt terribile ſupplicium.

Una Jeſu Chriſti gratia, æternæque vitæ ſpes mortis metum avertere poteſt.

Cum Dei Filius nos admonuit, ne eos timeremus, qui corpus occidere poſſunt, præcepit etiam ut metueremus illum, qui corpori ſimul, animæque mortem poteſt inferre, & utrumque mittere in gehennam, hoc eſt infernis ignibus adjudicare. Supremus hic vitæ noſtræ Dominus timori timore mederi voluit efficiens, ut æternam mortem timeremus ita, ut temporalis, ac perfunctoriæ mortis, quam homines vulgo tamquam rerum omnium maxime terribilem putant, nullum timorem haberemus. Quamobrem S. Auguſtinus hortatur, ut inanem, irrationabilemque metum in timorem ſaluti noſtræ utiliſſimum immutemus. Inanis eſt metus hominum terrenarum rerum jacturam timentium, qui cum neceſſario ex hoc mundo egredi debeant, exire timent, & ſemper differre cupiunt, quod omnino prohibere non poſſunt. Timor hic eſt inutilis; ſed inutiliter quoque Ethnici Philoſophi illum ex mentibus noſtris ejicere conati ſunt, quia æque nobis eſt naturalis, ac amor vitæ, ejuſque tuendæ cura. Sola Jeſu Chriſti gratia nobis hunc metum poteſt auferre, & efficere, ut vitæ melioris ſpe mortem etiam deſideremus.

Mors ſemper eſt metuenda.

Neque inficior, corporis quoque mortem rationabiliter timeri poſſe. Hæc ſeparatio eſt duarum partium totum hominem conſtituentium; & quemadmodum natura nobis inſpirat deſiderium tuendi corpus, ita debet etiam neceſſario interitus ejuſdem metum nobis injicere. Non ſoli fuerunt Ethnici, qui mortem terribilium terribile appellarint: Sancti, qui terrena deſpiciebant, atque ad cœleſtia anhelabant, & illi etiam qui præ cæteris majus in corpus ſuum odium teſtati ſunt dum viverent, in morte illud relinquere timuerunt. Si certi eſſemus in ipſo mortis articulo in corde genere poſſe fidem vivam, & operantem per charitatem, certi ſimul eſſemus ſanctam mortem nobis futuram januam ad vitam, felicemque tranſitum ad æternam felicitatem, neque ullo modo mortem mutueremus quantumvis terribilis videatur. Verum quænam certitudo eſt, in ipſo mortis momento non defutura nobis hæc Dei dona, has gratiæ divitias, hæc ſalutis noſtræ principia; verbo hæc pignora ſalutis æternæ? Et quamvis videamur veram fidem habere, per quam conſtanter Religionis noſtræ principia credimus, poſſumus ne hoc ipſum de gratia ſanctificante, ac de charitate affirmare? Cum igitur nemo ſcire poſſit, utrum gratiam habeat ſanctificantem, bona mors ſemper manet in ancipiti, ideoque nobis metum poteſt incutere.

Hominum peccata mortem accelerant.

Conſtans eſt in Scripturis veritas, vitæ curſum peccatis imminui; & quemadmodum mors eſt pœna peccati primi parentis, peccata actualia illi accedentia, quod nobiſcum ab ipſa geremus nativitate, vulgo cauſam eſſe, propter quam dierum noſtrorum ſtamen ſuccidit Deus, ut ob eorum abuſum in nos animadvertat. Uniuſcujuſque dies illi ſunt, quos ſecundum naturæ curſum, ac naturale corporis temperamentum vivere poteſt: ſed irruit mors, atque ſæpe homines occupat, antequam eorum dimidium expleverint, quia illi ſcelerum ſuorum numero calcar addiderunt. Hoc in ſenſu David hanc profert veritatem Pſalm. 54. *Viri ſanguinum, & doloſi, non dimidiabunt dies ſuos*; & Apoſtolus 1. *Cor.* 15. teſtatur peccatum eſſe ſtimulum mortis, quo urgetur, ac greſſum maturare cogitur, non ſecus ac ſtimulus efficit, ut lenta quælibet animantia gradum feſtinent: *Stimulus mortis peccatum.* Ita dicere poſſumus, peccatores ultra quam par eſt, vivere, cum poſtquam peccaverunt, vel unico tantum momento vitam producunt.

Deus per providentiam aliquando ex viventium numero exturbat eos, quos alioquin corruptum iri prænoſcit.

Scio equidem in divinæ Providentiæ theſauris non deeſſe rationes, propter quas nonnullos in ipſo ætatis flore ex viventium numero exturbat: ſed hoc ſemper in eorum cedit utilitatem, qui immatura morte hoc pacto decedunt; uti de Juſto ſcriptum eſt in libro Sapientiæ cap. 4. *Juſtus ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit: raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Quæ res magno eſſe debet ſolatio conſanguineis, & amicis eorum, qui tenera ætate fato funguntur, quamquam ſemper vitæ integerrimæ, ſceleriſque puri extiterint. Neque enim illud affirmare auſim, eos omnes, qui in ipſo juventutis robore, ac medio vitæ curſu moriuntur, in pœnam ſcelerum ſuorum ſuſtolli; ſed illud ajo, eos, qui male vivunt, ut plurimum præcoci, præcipitique morte mulctari.

Majori cura mors, quam mala mors evitatur.

Nemo diffitetur, quantumvis terribilis ſit mors, illam tamen nullum Chriſtiano metum allaturam, ſi ille certus eſſet, ſe chriſtiane moriturum. Juxta ſententiam hanc adeo communem, & veram palam conſtat, quod præcipuam non in eo curam collocare deberemus, ut mortem, ſed ut malam mortem effugeremus: eo magis quod mors inevitabilis eſt, & quod in noſtra ſitum eſt poteſtate bene mori. Attamen fatendum eſt hominum pleroſque oppoſitum facere. Sibi diligentiſſime cavent, ut mortis ſpicula eludant, quaſi nullum majus eſſet malum in vita, & mors tot curis evitari poſſet; cum interim negligant malam mortem evitare, quaſi hæc nihilum eſſet, & omnes curæ noſtræ futuræ eſſent inutiles; quod non minimum eſt humanæ cæcitatis, & modicæ fidei argumentum.

Mors ſcientia eſt, & philoſophia.

Veteres Philoſophiam ſuam mortis meditationem dixere; & S. Joannes Chryſoſtomus mortem ipſam Philoſophiam vocat, ſignificaturus quemadmodum Philoſophi diligentius hujus ſcientiæ excutiunt principia, ut eas eliciant concluſiones, quæ quodammodo in his generalibus veritatibus continentur. Intereſt quoque ſapientiæ hominis Chriſtiani mortem conſiderare cum omnibus circumſtantiis, quæ illam reſpiciunt, atque ex tumuli noſtri, in quem a morte redigimur, adſpectu ea omnia inferre, quæ mores noſtros regere poſſunt, ut finem dierum noſtrorum convertamus in egregium principium, ad cujus normam tota vitæ noſtræ ratio inſtituatur. Verum maximi momenti illatio, quam ex hac conſideratione eruere valeamus, hæc eſt, quod inde diſcamus in anteceſſum nobiſmetipſis, noſtriſque pravis affectibus emori; quoniam reipſa aliquando nobis moriendum eſt; & efficiamus, ut phyſica, quæ nos manet, mors in nobis moralem producat mortem, affectuum ſcilicet noſtrorum mortificationem.

Poſt mortem non datur converſioni locus.

Quantumvis pertinax, & de ſpe omni dejectus peccator ſit, poteſt tamen, dum vivit, converti. Deus illum ſollicitat, urget, cogit; poteſt igitur; Deus enim ad id cogere non poteſt, quod nequit expleri. At aliter ſentiendum eſt de eo, qui in peccato mortuus eſt, ex quo animam efflavit, factum mutare, & ad Deum reverti non poteſt; quia funeſto illo momento peccatum ejus eſt finalis impœnitentia, e qua nullus reditus patet; quandoquidem agenda eſſet pœnitentia, cui ſi locus eſſet, illa jam non eſſet finalis impœnitentia. Qui moritur cum dono perſeverantiæ, hoc nequit amittere; nam, ut S. Auguſtinus inquit, per donum hoc, quod proprium eſt prædeſtinatorum, uſque in finem perſeveravit; & fieri nequit, ut qui ita perſeveravit, perſeverantiam amittat; quo in caſu jam non perſeveraſſet: nulla igitur poteſtas hoc illi donum poteſt auferre. Hoc ipſum dicendum eſt de impœnitentia finali, quæ illi in reprobis eſt oppoſita. Qui ita infelix fuit, ut in ſtatu peccati moreretur, reſipiſcere nequit; fieri etenim nequit, ut qui ita moritur, agat pœnitentiam. Hic finis, hic terminus eſt, poſt hunc

nulla

nulla mutatio. Quemadmodum peccator, dum viveret, poterat, integrumque illi erat ſeſe convertere per gratiam, quam illi Deus exhibebat; in peccato mortuus jam non poteſt, neque hoc illi amplius integrum eſt, quia nulla amplius eſt gratia: mors enim finis eſt omnium gratiarum, quæ ideo datæ ſunt, ut mereamur, & merita nonniſi in vita congeri poſſunt.

Anima in morte videt errorem fallacium idearũ, quas de terrenis rebus conceperat.

Anima ſtatim ac ex corporis ergaſtulo egreſſa agit per ſe, nulla illuſione, nullo errore, nulla inani ſpecie decipitur. De rebus judicat prout ſunt; nullum detegit malum, ubi nihil præter bonum erat; nullum amplius eſſe bonum credit, ubi nihil erat niſi malum. De mundi hujus bonis judicat ex eo quod reipſa ſunt, ideoque videt peccatum ſolum ſine ulla boni ſpecie, vel commixtione, quia nullum amplius objectum eſt, quod aliquam illi boni ſpeciem tribuat, nec ullus error, qui in eodem bonum comminiſcatur. Hoc in ſtatu, in quo peccatum non apparet niſi tamquam merum malum, ſine boni mixtura, illi eſſe non poteſt niſi terribilis execrationis objectum; illud odit, deteſtatur, abhorret: ſed fruſtra; non enim amplius eſt tempus.

Mors noſtra vulgo talis eſt, qualis vita fuit, & altera eſt ad alteram diſpoſitio.

Vita noſtra jugis eſt ad mortem diſpoſitio: & ut ita dicam, non vivimus, niſi ut moriamur. Quidquid facimus ad hunc terminum refertur, & omnia vitæ momenta, cujuſcumque naturæ ſint, totidem ſunt mortis apparatus, & ad illam adducunt. Hinc ſequitur, quod vita ſancte inſtituta nos ad ſanctam mortem diſponit; vita vero peccatorum illis præparat mortem reproborum. Ita da mihi hominem, cujus vita diuturnus fuerit criminum nexus; poterit ne ille tandem morte prædeſtinatorum obire? Hoc perrarum eſt, & ſine quadam miraculi ſpecie fere impoſſibile. Quorſum? quia nullas habet ad beatam hanc mortem diſpoſitiones; immo multas etiam oppoſitas: dicendum igitur eſt, qui male vixerit, male moriturum.

Mala mors plurimis modis fieri poteſt.

Cum mala mors nihil ſit aliud, quam mors in ſtatu peccati mortalis, fides, ratio, & experientia docent, plurimis modis male aliquem mori poſſe. Primum cum in ipſo peccati actu decedit, quod naturaliter contingere poteſt, cum actio, quæ crimen ipſum conſtituit, certiſſimum infert interitum, ut qui in ſingulari certamine occumbit: vel caſu, cum qui blaſphemias evomit, vel impuræ libidini ſatisfacit, tecti ruina contegitur; vel in pœnam, veluti cum Deus inſigne præbiturus exemplum, in arena morte percutit illum, a quo laceſſitur, quin pœnitentiæ ſpatium eidem relinquat. Modus alter, quo in peccato obire poſſumus, eſt, cum morte occupatur aliquis, non actu peccans, ſed in peccati mortalis, quod per pœnitentiam non delevit, ſtatu exiſtens. Tertius denique modus, cum homo jamjam moriturus & converſionem cogitans, nec non confitendi gratiam obtinens, atque ad id omnes conatus exerens, tamen in peccato ſuo e vivis excedit, ob pœnitentiam illius aliqua ex parte eſſentiali deficientem.

Deus ſubita punire poteſt morte, qui peccatũ committit.

Quicumque Deum lædit, mortem meretur, quæ eſt pœna peccati, ex quo hominum parenti dictum fuit: Geneſ. 2. *In quocumque die comederis, morte morieris.* Hic ſons eſt divina damnatus ſententia, & Deus illum eodem inſtanti morte afficere poteſt; quod ſi facit, juſtus eſt; ſin autem, miſericors. Cum illo autem, & juſtitiam, & miſericordiam exercet, ubi vult, & quomodo vult; neque aliæ excogitandæ rationes ſunt præter illius voluntatem, quæ una ſuprema ratio eſt: *Miſerebor, cujus miſerebor.* Ad Rom. 9. Hoc tibi contulit beneficium, vitam tuam producens poſtquam millies ipſum læſiſti, quod tot aliis negavit, cum quibus ſua uſus eſt juſtitia; qua, cum quibus ipſi libitum eſt, utitur.

Juſti, & veri Chriſtiani cũ voluptate moriuntur.

Hanc voluptatem Ethnici Philoſophi ignorarunt; etenim ut eadem perfruaris, aliquid ſupra naturam requiritur, ad quod humana mens ſolis ſuis viribus pervenire non poteſt: ita ut mirum eſſe non debeat, ſi naturali tantum lumine illuſtrati, cui etiam ſenſuum, vitiorumque effuſa erat caligo, docuerunt ex omnibus terribilibus mortem eſſe maxime terribilem. Hanc illi concipiebant tamquam meram privationem, corporiſque ab anima ſeparationem, quin ſperarent, ut utrumque ſimul in vitam æternam coiret. Qui ex eorum numero animæ immortalitatem aſſeruerunt, illius rudes tantum, craſſaſque ideas, incertaſque habuere notiones. Non igitur mirum eſt, ſi tenebræ horrorem pepererunt; & ſi hæc duarum rerum adeo conjunctarum, quales ſunt corpus, & anima, ſeparatio illis viſa eſt cum graviſſimis doloribus, & immedicabili mœrore conſociata. At quibus explorata ſunt fidei dogmata, qui ſuum agnoſcunt finem, ac illum vehementer exoptant, qui ſciunt animam eſſe immortalem, & per corporis mortem Deo in æternum conjungi, corpus etiam reſurrecturum, & ſimul cum anima beatum futurum, hi mortem reſpiciunt tamquam tranſitum de labore ad requiem, tamquam ſomnum, ex quo evigilaturi ſunt, tamquam noctem, quam mane ſubſequitur, & cum Propheta *Pſalm.* 32. dicunt: *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quia tu mecum es.* Deus fidei claritate me in horrentis hujus itineris umbra deducit; ideoque in mortis caligine incedo, quin ea mala extimeſcam, quæ natura ægris luminibus ſuis adeo terribilia exiſtimavit.

Cur Sancti mortem non metuant.

Sancti, quorum vita jugis eſt ad mortem præparatio, & quorum dies, ut melius dicam, totidem mortes ſunt, extremæ diei obitum non timent quia toties aliis diebus mortis periculum facere, Terræ huic non amplius fere adhæreſcunt; vehementi opus non eſt flatu, ut fructus iſti excutiantur ex arbore; nulla opus eſt vi, ut evellantur, cultoris manus, ubi tempus eſt, ſine ullo labore ſequaces demetit, eorumque ſingulis dicit Deus: Proſpexi lacrymas, quas in moleſta mundi manſione effudiſti; te votis damnavi, & animam tuam in pace, & jucunditate conſtituam. Quænam morientis hominis lætitia, qui mundum nequaquam patriam ſuam cogitat, & qui inter homines tamquam hoſpes verſatur; quæ, inquam, lætitia videre propius accedere tempus, quo ad cœlum perveniat, ubi ſe viſurum illos putat, cum quibus hac in vita illum conſociaverat charitas, & qui ante ipſum a Deo in gloriæ poſſeſſionem fuerant evocati! Ita ſane mundum minime cum dolore tamquam natale ſolum relinquit; ſed illinc egreditur cum gaudio tamquam ex loco exilii ſui, atque cum antiquis Prophetis dicit: *Vado ad populum meum.* Vitam ſuam traduxit in ſalutaris metus ſollicitudine, operatus ſalutem ſuam cum tremore, & timore, uti Apoſtolorum Princeps ſuadet: ſed nunc periculum fere jam abiit: remuneratur Deus timoris amaritudines ſuavitatibus confidentiæ. Denique anima hæc dicere poteſt cum Apoſtolo; fideliter dimicavi, & certus ſum, Deum, utpote Patrem miſericordiarum, juſtumque Judicem, juſtitiæ coronam mihi tributurum.

Quid mortem terribilem faciat.

Verum eſt, mortem ſuapte natura malum eſſe, quia privatio eſt boni, quod vita eſt; verum fatendum eſt, quod in ea maxime timetur, non eſſe privationem hanc, quæ neceſſario contingere debet. In morte igitur potiſſimum timenda ſunt ea, quæ illam conſequuntur, & a quibus homo præſervare ſe potuit, peccatum, quoad viveret, fugiens. Hæc, quæ non a morte quidem, ſed a mala morte, inſeparabilia ſunt, mirum in modum ſunt terribilia; eorumque ſola cogitatio cordi noſtro formidinem incutere debet.

Proxima diſpoſitiones ad bene moriendum afferendæ.

Quidquid diximus, dicemuſque de cogitatione, & actuali memoria mortis, quæ jugiter ob oculos noſtros verſari debet, reſpicit remotam illam diſpoſitionem, quam ad bene moriendum debemus afferre. Verum proximæ præparationes ad tres potiſſimum redigendæ videntur; quæ quantum tempus, & morbi genus permittit, prætermittendæ non ſunt; videlicet Sacramentorum receptio, divinis voluntatibus cum mortis acceptatione ſubmiſſio, & actuales affectus, qui in extremo eliciendi ſunt morbo; hoc tamen poſito, quod mens adhuc vigeat, nec deſint vires.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentioribuſque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Mortis cogitatio viros bonos non angit.

NE putetis adſpectum, & cogitationem mortis amaritudine hominis juſti animum replere, eumque proſternere; verum ſcitote prorſus oppoſitos effectus inde gigni oportere. Hic eſt captivus, qui cum gaudio liberationis ſuæ diem præſtolatur: reus eſt, qui cum voluptate tempus expectat, quo ſalutari littera ſe ſperat abſolvendum; nauta eſt, qui in navigationis ſuæ curſu ſolatio afficitur, quotieſcumque illum recogitat diem, quo in portum navem eſt deducturus. Juſti, qui Chriſtianam vitam ducitis, mors illis tantum eſt dura, qui mundo adhæreſcunt, qui illius nugas, & voluptates conſectantur. Quia horum bona præſentia ſunt, cumque illis nihil expectandum ſit in futurum, vulnus, quod vitam, univerſa illis rapit ſimul; ideoque nihil illis reliquum eſt quam dolor, atque triſtitia. *Abbas Trappenſis Collatione tertia pro Aſſumptionis die.*

Atheorum licentia illis mortis timorem auferre non poteſt.

Cum Athei toto vitæ ſuæ ſpatio contra omnia rationis lumina, omnes naturæ ſenſus, omnes exiſtentiæ Dei, immortalitatis animæ, æternæque felicitatis impreſſiones, quas in eorum ſpiritu, & corde inſculpſerat Deus, fuerint obluctati; cum ſemper unanimi reliquorum mortalium ſententia, quæ naturæ vox eſt, damnati fuerint: hæc omnia ſæpe in morte excitant religionis, timoriſque ſenſus, quibus, ut olim Antiochus, agnoſcere coguntur Deum, quem negarunt, religionem amplecti, quam contempſerunt, petere miſericordiam, quæ illis fortaſſe, ut impio Regi, negabitur: *Orabat ſceleſtus ad Dominum, a quo non eſſet miſericordiam conſecuturus*, Machab. 9. Et quamvis illi in impietate ſua pertinaciter occalleſcerent, natura præ horrore fremeret ſecus oram abyſſi, in qua omnia ad nihilum rediguntur, & in quam illos mors præcipites dejicit. *P. Craſſet libro de Conſolatione contra mortis terrores.*

Ad bene moriendum neceſſe eſt mortem cogitare.

Mortem cogitare mortales refugiunt; at cur? Ambiguntne utrum ſibi moriendum? Sancta mors opuſne eſt adeo facile, ac nullo in diſcrimine habendum? adeo exigui momenti eſt, ut mereatur, ne eidem animum advertamus? A morte ſalus pendet æterna; pauci bene moriuntur; aliterne accidere poteſt adeo paucis de morte cogitantibus? Mortis cogitatio terret, voluptates, lætoſque dies perturbat, ideoque pro virili removetur. Illi vero, qui de morte nolunt cogitare, ne adeo triſti terreantur objecto, numquid ignorant in noſtra poſitum eſſe facultate, divina favente gratia, efficere, ut mors nobis accidat læta, & in Dei conſpectu pretioſa. At quis talem ſibi mortem polliceatur, quin de eadem umquam cogitaverit? *Idem.*

Dolores quos in morte patimur, pœnitentiæ locum obtinere poſſunt.

Chriſtifidelis morti proximus præclarum hunc ex doloribus ægritudinis ſuæ fructum percipere poteſt, quod illi locum obtinere poſſunt pœnitentiæ ad peccatorum ejus expiationem, atque ſatisfactionem pœnarum, quæ iiſdem debentur. Docent enim Theologi afflictiones omnes, & mala ſeu publica, ſeu privata, quibus vel jubente, vel permittente Deo afficimur, huic rei inſervire poſſe; licet enim in nobis nequaquam ſitum ſit pati, vel ſecus; in nobis tamen ſitum eſt æquo, vel iniquo animo pati, ac ob honeſtam, laudabilemque cauſam illa acceptare, quæ quidem acceptatio, & ſubmiſſio divinæ voluntati cum libera ſit, atque voluntaria, efficit, ut eadem ſint meritoria, & ſatisfactoria, donec actu oppoſito non retractentur. *Auctor Anonymus.*

Quam amara, & moleſta ſit mors illis, qui terrenis bonis adhærent.

Nihil eſt, inquit Spiritus ſanctus, homini mundum diligenti acerbius, atque moleſtius, quam hæc cogitatio, ſibi eſſe aliquando moriendum: *O mors quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis.* Perpendite, amabo vos, horum verborum vim. Mortis cogitatio nequaquam amara eſſe dicitur bona terræ hujus poſſidenti, ſed tantum in illis pacem invenienti, ac in iiſdem veluti in ſubſtantia ſua requieſcenti: *Pacem habenti in ſubſtantiis ſuis.* Eccli. 41. Quod hoc in mundo poſſident cum amore divites, non dicitur tantum bonum, ſubſtantia vocatur ad oſtendendum illud diſcrimen, quod illos inter, & juſtos intercedit: ita ut ſi iſti mundi divitias conſiderent tamquam mera accidentia, quibus carere poſſunt, & quorum jactura levem dumtaxat in illis mutationem parit, illi, qui eas tamquam ſubſtantiam ſuam putant, credunt ſe illa amittere nequaquam poſſe, quin ſimul & eſſentiam, & vitam amittant. Qui cum ita rebus terrenis adhæreant, mirum eſſe non debet, ſi mors terrore illos, & amaritudine repleat. *Auctor Anonymus.*

Qui ſibi non cavet, ut bene moriatur, in aperto verſatur male moriendi periculo.

Impii, S. Auguſtinus *in Pſalm.* 41. ait, flagitiis ſuis ſibi mortem accelerant: *Male vivendo homines mortem invocant.* Et impii ipſi minus laborant, ut illius terrores imminuant, ut ſe contra æterna, quæ illam ſubſecutura ſunt, mala præmuniant. Certi ſe morituros eſſe, in peccato vivunt; vivunt in peccato, certi (audeo dicere) quodammodo ſe in peccato morituros. O dilectiſſimi Auditores, ſinite vos eo terrore concuti, quem hoc verbum animæ veſtræ debet incutere. Utique, qui male vivunt, ut plurimum male moriuntur, nam quocumque modo moriantur, imparati moriuntur. Ad bene moriendum, cum veri fidelis diſpoſitionibus, atque in pœnitentiæ ſtatu moriendum eſt. Hoccine autem fieri poteſt ab imparatis? Hoccine fortuito poteſt fieri? Hoccine uno fieri poteſt ictu, & momento? Semel morimur: igitur diligentiſſime præcavendum, ut bene moriamur, quod peccatores, & impii ne cogitant quidem. *Deſumptum partim ex P. la Peſſe tom.* 1. *& Serm.* 1. *de morte in peccato.*

Cum aliquis neceſſarias neglexit præcautiones, ut ſanctam mortem obiret, hoc mihi valido eſt argumento, illum juxta communes Providentiæ leges in peccato moriturum. Neque dicam cum S. Ambroſio, ſpem, quæ in incerto collocatur tempore, inanem, infirmamque eſſe; neque videri eum id velle, quod ſemper differt cum ejuſdem numquam adimplendi periculo. Moris noſtri non eſt æternis dilationibus negotium, quod cordi eſt, in periculum adducere; non admodum ſolliciti ſumus, cum de eodem cogitandi tempus nequaquam defuturum ſperamus. Neque cum Tertulliano *de cultu fœmin.* dicam, eum qui temerariæ aſſueverit confidentiæ, timere non poſſe, neque præcavere, ut effugiat periculum, & hoc gravius, & magis inevitabile hominis præſumptione fieri: *Qui præſumit, minus veretur: minus præcavet, plus periclitatur; timor fundamentum ſalutis eſt.* Quomodo enim uno oculi ictu videri poſſunt omnes ejus actionis circumſtantiæ, quæ ſemper æque moleſta fuit, æque periculoſa, & quæ nos ne minimum quidem habuit umquam ſollicitos? Neque cum S. Auguſtino dicam, malum, quod numquam præviſum fuit, ſemper majori cum celeritate irruere, nos opprimere, & perturbare .... Sed Verbi divini oraculum, quod hac in re explicitum eſt, divina juſtitia, cujus quotidie tot exempla videmus, ipſaque experientia noſtra perſuadent, niſi inſueta quædam divinæ miſericordiæ gratia opem tulerit, illum, qui ſemper neglexit, ac diſtulit de morte cogitare, ac ſeſe eidem diſponere, prædeſtinatorum morte nequaquam moriturum. *Idem.*

Mors videri debet terribilis peccatori imparato.

Ex omnibus hominibus mors maxime imparato peccatori videri debet terribilis, quippe illius mors paſſim eſt infeliciſſimæ æternitatis principium. Quamquam plurimis de cauſis, ubi mortis memoria excitaretur, deberet infrendere; ſolatio metum expulit, Dei legem contempſit, neque dignatus quidem eſt cogitare ſe moriturum, & in judicis ſui manus lapſurum. Prima ultio, quam ob hanc mortis oblivionem expetiturus eſt Deus, hæc erit, quod peccator, qui ejuſdem oblitus eſt, morte occupetur. Hæc juſtiſſima pœna eſt, ut malum contemptum repente, & ubi minus timetur, irruat, Imprudens, qui illud neglexerat, ſumptibus ſuis eas diſcit rationes, propter quas erat metuendum. *Idem.*

Qui mortem cogitare noluit, omnem experietur mortis reproborum amaritudinem.

Temeraria mortis oblivio, non ſolum inopina morte, verum etiam adſpectu, ſenſuque omnium mortis malorum punienda eſt. Deus, inquit Auguſtinus *Hom.* 23. abſcondit peccatori dies omnes, quibus vivere, & mori poteſt; ut exitus ſui incertus, diebus omnibus attentus ſit, eoſque cum tremore diligenter obſervet: *Latet omnis dies, ut obſerventur omnes dies.* Peccator terribili extremæ diei ſuæ incertitudini obſtruxit oculos, quonam æquiori ſupplicio animadvertere poſſet Deus in impium audacem, quam illum guſtare cogens, ut ita dicam, omnes extremæ illius horæ terrores, quam tanti momenti non eſſe credidit, ut eſſet prævidenda? Opus eſt, ut ſe mori ſentiat, & videat, ſecumque dicat: Bona congerere, meiſque ſenſibus indulgere tantummodo ſtudui; omnem mortis cogitationem ſuffocavi, ut majori cum tranquillitate meis opibus, & voluptatibus fruerer; futurum quærere nolui, ut præſens mihi eſſet jucundius; vixi tamquam non moriturus. At ecce morior; nihilque mihi ſperandum in hoc mundo ſupereſt, nihilque in altero expectandum præter meorum ſcelerum pœnam. Audite, quibus verbis Job hanc ſententiam explicet *c.* 21. *Videbunt oculi ejus interfectionem ſuam, & de furore omnipotentis bibet.* Peccator ſe morientem videbit, & abſit verbo invidia, longis hauſtibus mortem potabit: lectulo ſuo inhærens, veluti patibulo ſons, totum intuebitur apparatum, omnia ſupplicii ſui inſtrumenta videbit: præteritas voluptates cum præſenti miſeria comparabit, ac ſentiens moriendi neceſſitatem, & ob oculos infernum habens, celerem optare mortem debebit, aliquod deſperationis ſuæ ſolatium inventurus. *Idem.*

Comparatio tumultus, ac terroris impiorũ in morte, cum bonorum tranquillitate.

Quodnam diſcrimen, Auditores, inter ſuaves tranquillitatis, gaudiique ſenſus bonorum in morte, ac ſollicitudines, mortales terrores, ac deſperationem, quibus vexati extremum obire diem illi videntur, qui mundum, inaneſque illius voluptates amarunt? Quæ cura adhibenda eſt, ut periculi, in quo ſunt, admoneantur? Hoc vero adeo triſte nuncium in illo quantas excitat tempeſtates! Quo in tumultu, ac mortali anxietate extrema illa vitæ momenta tranſiguntur! Quam inutilis, & amara præteriti temporis pœnitentia! Quam juſti metus ob futurum, quod illos manet, & urget, neque ullum relinquit ipſis ſpatium ad jacturam præteriti temporis reparandam! E contra vero quæ felicitas bonorum ſine ullo tumultu extremum illum tranſitum præſtolantium, cujus memoria omnibus terrorem incutere conſuevit? Quod privilegium, tutum eſſe, perfecta ſpiritus malacia frui, cor gaudio plenum habere eo tempore, quo omnes gemunt, ſuſpirant, contremiſcunt; eo tempore, quo mundi hujus ſectatores plures dolores unico momento experiuntur, quam toto vitæ ſuæ ſpatio perceperint voluptates? Eo, inquam tempore, omni carere metu, cura, diffidentia; nonne tantum eſt boni, ut quodlibet auſterioris vitæ genus propter illud amplectendum non ſit?

ſit? Ullane adeo difficilis, adeoque ingenio noſtro oppoſita res eſt, quæ ad tantum hoc boni procurandum non ſit ſuſcipienda? *P. de la Colombiere Sermone pro Commemoratione Defunctorum.*

Quid viris bonis mortem optabilé reddat.

Nihil cupidius optandum eſſet fideli, quam cita mors, qua cito ſuam aſſequitur felicitatem, citiuſque Deo fruitur. Quamquam diuturna vita iis omnibus careret periculis, de quibus ſupra locuti ſumus, nonne vitæ diuturnitas ingens eſt malum, quo prohibemur, ne cito in æternum deliciarum locum ingrediamur? Hac de cauſa Propheta *Pſalm.* 41. dicebat: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, & nocte, dum dicitur mihi quotidie: ubi eſt Deus tuus? Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam.* Hæc cogitatio in ſanctis omnibus peperit vitæ præſentis faſtidium; ubi ſecum reputabant, æternam felicitatem diuturno in terris incolatu magis, magiſque differri. Ita ſane, fideles, mors optabilis eſt, quia eſt immortalitatis noſtræ principium, noſque attollit ad Deum; tantum abeſt, ut ſit pertimiſcenda. Timoris ſenſus, S. Cyprianus ait, iis repugnat, quæ quotidie in oratione Dominicali petimus; Deum enim rogamus, ut quam primum adveniat mors, quæ nos in Cælorum regnum inducat, cum dicimus: *Adveniat regnum tuum*: & nihilominus voto prorſus oppoſito diutius hic cupimus permanere. Oramus, ut Dei voluntas fiat, cumque evocamur a Deo, nonniſi ægre, & gravate obtemperamus; ex hoc mundo ex neceſſitate potius, quam ex obedientia migramus: & gloriæ coronam ab eo recipere volumus, ad quem inviti proficiſcimur. Cur ergo in precibus, quas effundimus, Deum precamur, ut cœli regnum adveniat, ſi tantopere ſervitutem noſtram deperimus? Cur enixius efflagitamus ex vitæ hujus ærumnis liberari, ſi malumus hic eſſe dæmonis mancipia, quam in Cœlis cum Jeſu Chriſto regnare? *P. Delingendes Sermone primo de morte.*

Prætextus, qui prohibet, ne aliqui viri boni mortem exoptent.

At enim times non mortem, ſed adventum judicii Dei; cumque tibi auferatur facultas lugendi ſcelera tua, illa nequis ultra pœnitentiæ lacrymis delere. Verum eſt, terribilia eſſe Domini judicia; ſed ſunt etiam inevitabilia: quantumvis diuturna ſit vita tua, non ideo erit innocentior, & in oculis Dei magis accepta; immo timendum eſt, ne peccata tua non ſecus ac dies tui multiplicentur. Numerus ſcelerum tuorum nequaquam annorum numero imminuetur; ſed magnitudo charitatis, & dilectionis tuæ peccata cooperiet, nihilque eſt, quo amorem tuum Dei Filio magis teſtatum facere valeas, quam deſiderium, quod hoc peccati corpus deſtruatur; quod hoc corpus, inquam, quod imperiis illius obnititur, quod illum afficit contumelia, quod toties contra ſanctiſſimas illius voluntates ſe attollit, exterminetur, redeat in pulverem, & in ſcelerum ipſius pœnam in cineres redigatur. *Abbas Trappenſis in vita Monaſtica officiis. Tom. I. cap. 13. de mortis Meditatione.*

Mortis cogitatio omniũ ſenſibilium rerum affectionem extinguit in nobis.

Præcipuus effectus, quem in nobis mortis cogitatio producat, eſt omnino vacuum efficere cor, ibique delere quidquid amoris reliquum eſſe poteſt erga res ſenſibiles, & prohibere, ne recentem ullam affectionem concipiat. Jeſus Chriſtus hac uti voluit ratione, ut eorum confunderet inſaniam, qui terrenis bonis adhæreſcunt, dicens illi, prope eſſe, ut mors illis eripiat quidquid tanta cura congeſſerunt, eorumque ſollicitudines inutiles futuras: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te: quæ autem paraſti, cujus erunt?* Luc. 12. Homines ideo tanto ardore ſibi domos ædificant, ſubſtantias augent, honores, & opes inquirunt, quia ſibi voluptates, atque oblectamenta comparare contendunt. Spes iiſdem perfruendi cauſa eſt deſideriorum, & actionum ſuarum; & ambigi nequit, quo minus a deſideriis, & actionibus ceſſent, ubi illis fuerit perſuaſum, labores omnes nihil ſibi eſſe profuturos. Ita qui mortis cogitationem jugem ſervaverit, omnia fluxa tamquam jam præterita intuebitur; ſeipſum tamquam mortuum inter viventes cogitabit, vel potius tamquam inter mortuos viventem. *Idem.*

Alia memoriæ utilitas eſt Cœli deſiderium nobis inſpirare.

Alia inſignis, quæ in mortis memoria, & cogitatione invenitur, utilitas hæc eſt, quod terrena removens admovet cœleſtia; quod erga illa æneum nobis cor effingens, carneum erga iſta facit; & prout in nobis mundi amorem evertit, efficit, ut ibi Jeſu Chriſti amor dominetur. Cauſa vero, propter quam cœleſtibus non afficimur bonis, & beatitudo, quam Deus ſibi inſervientibus pollicetur, quamvis infinita ſit, nos adeo leviter movet, hæc eſt, quod illa tamquam longinqua conſiderantur, & quod intervallum, quo ab illis ſeparamur, ita ſpiritui noſtro eadem imminuit, ut in opinione noſtra nihil comparari poſſe videatur cum pœnis, quæ ad eam promerendam ſunt perferendæ. At mortis cogitatio omnia hæc aufert intervalla; homo virtute præditus, qui illam in corde ſuo alte inſculptam gerit, jugiter habet ob oculos ſuos præſentem æternitatem. Quaſi unico ab eadem momento divideretur, aſſidue æternam felicitatem expectat. *Idem.*

De bonis generatim quæ mortis cogitatio producit.

Bona, atque ſubſidia, quæ viri boni ex mortis cogitatione, & recordatione percipiunt, tot, tantaque ſunt, ut parem illis ideam vobis adſtruere minime valeam. Cum enim dixero, hac cogitatione excitari fervorem, animarum inconſtantiam, & mobilitatem confirmari, mentis evagationem prohiberi, pœnitentiæ jucunditatem afferri, humiliationum, & contemptuum acerbitatem auferri, terrenarum curarum odium, diligentiſſimam vigilantiam, ardentem orationem produci; pietatem inſpirari, atque foveri; nihil a me vobis dictum erit, niſi quod a Sanctis viris accepimus. Beatos illos, qui haſce maximi momenti veritates nequaquam ex libris petere debent, ſed qui illas propria experientia didicerunt! *Idem.*

Mortis cogitatio efficit ut Dei judicia timeamus.

Difficillimum eſſet mortis cogitationem fovere, & ob oculos non habere judicia Dei. Hæc ſunt ita invicem nexa, ut in cogitationibus noſtris ſeparanda non ſint. Mors nihil habet, quod illam propius ſubſequatur, quam judicium a Deo de nobis habendum. Mori, & judicari unum ferme, & idem eſt. Mortis cogitatio non eſſet utilis, niſi cum judicii cogitatione eſſet conjuncta. Liquet ſatis hanc plerorumque hominum eſſe ſententiam; ipſos non mortem, ſed quæ mortem ſubſequuntur, videlicet Dei judicia &c. reformidare. *Idem.*

Mirum eſt quod homines ad eo parum de morte cogitent.

Hæc eſt cogitatio, cui indeſinenter vacare a Jeſu Chriſto jubemur, dicente: *Vigilate itaque quia neſcitis diem, neque horam.* Profecto hic dies, & hæc hora adeo terribilis eſt, negotium vero de quo tunc agitur, tanti momenti, ut non ſatis mirari poſſimus, quod mortales non ambigentes de illius acceſſu, ad alia quælibet ſuam cogitationem circumferant. Si enim aliquem mones, domum illius fatiſcentem laborare, & brevi caſuram, ejuſque ruinam quolibet momento contingere poſſe, pedem illinc ſtatim efferet: cum vero ſciat, circumundique ſibi graviſſima imminere mala, quorum iſtud ne levis quidem eſt umbra; cum probe teneat, nullum eſſe momentum, quo morte occupari non poſſit; nihilominus quin hæc ne cogitet quidem, tuto, ac tranquille vivit, quaſi nihil ſibi eſſet metuendum. Repentinæ neces, inopinati caſus, quibus tot mortales ex viventium numero exturbantur, oculos quidem illorum afficiunt, animum vero non item. Eorum durities omnibus reſiſtit, quorum ſecuritatem ſi videres, illos ab Apoſtolo exceptos fuiſſe diceres, neque de illis fuiſſe locutum, cum ait ad Hebr. 9. *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori. Idem.*

Cum juſtus ſeipſum excutit, nihil in ſe invenit, non ſolum, quod ſibi placeat, verum etiam quod ſuum timorem non augeat. In anima ſua videt originem malorum omnium, quæ re ipſa non patrat, ſed quæ proculdubio patraret, niſi peculiari cura Deus illius tueretur integritatem. Detegit terribilem illam affectionum turbam, quæ gratiæ vinculis nexæ quidem, non autem evulſæ, totidem ſunt veluti rugientes leænæ, quæ inceſſanter ſanctiſſima ejuſdem evertere conantur conſilia. Sentit in ſenſibus ſuis peccati legem indeſinenter legi rationis repugnantem; & inde magis dolet, quod non ita fideliter illis uſquequaque reſiſtit, ut non aliquid ſemper excidat, quod illius laceſſat ſanctitatem, cui diſplicere neque vult, neque debet. Ita veretur, ne multiplicatis infidelitatibus ſuis Dei fatigetur patientia, ejus miſericordia arctetur, & ne tandem omnino negata ſibi finalis perſeverantiæ gratia omnino derelinquatur. *Idem.*

Magis afficimur cogitatione mortis, cum proxima eſt, quam cum remota.

Quamcumque, dum vivimus, meditationi mortis curam impendamus, verum eſt tamen, nos hoc objecto numquam affici magis, quam cum morte accedente admonemur, nihil nobis ultra ſperandum eſſe, atque intra paucos dies, vel horas fortaſſe ad ſupremi Judicis tribunal eſſe prodeundum. Tunc homo præterito occupatus, cujus agnoſcere incipit exitum; juſti Dei timore perculſus, cujus præſentiam ſuſtinere debet; perterritus ira Domini æquiſſimi, atque perſpicaciſſimi, qui de rebus omnibus illi creditis rationem expetiturus eſt, perterrefactus vaſtis æternitatis, quam eſt ingreſſurus, ideis; in hoc rerum novarum ordine, in fatali hac circumſtantia moriens circumundique incertos volvit oculos, & quærit perfugium, ubi tranquillitatem, & ſecuritatem inveniat. Hæc ſors eſt peccatoris, qui morte adventante terrores invenit, ubi juſtus ſuaviſſima ſolatia nanciſcitur. *P. Maſſillon tom. 2. Quadrageſimæ Sermone de beata morte juſtorum.*

Gaudium, & conſolatio juſti morientis.

O beatam juſtarum animarum in morte ſortem, cujus ſpes jamjam perfecta immortalitate eſt coronanda! Inde oriuntur ſuaves illi juſti morientis affectus. Quæ voces, quæ ſuſpiria erga ſanctam patriam! Quæ iterata gaudia, cum illuc ſeſe ingredi ſentit! Numquam exiſtimaſſem, ſanctus homo ſpiritum efflans exclamat, tantam moriendo percipi voluptatem. Hinc illa ſanctorum impatientia, qua ex vitæ hujus ergaſtulo liberari peroptabant. David nihil impenſius orabat Deum, niſi ut ante Dei ſui faciem appareret: *Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam?* Pſalm. 41. De hoc nonniſi præ gaudio exultans verba facit Apoſtolus *Philipp.* 1. ſancta ardet impatientia beati illius momenti, quo anima ex corporis liberata carcere ad Deum principium, finemque ſuum revertatur: *Deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Hinc enixa primorum fidelium vota, qui inceſſanter mortem cupientes, & ſancta ſalutis ſuæ fiducia repleti, illam ſuavem appellabant ſomnum, tutiſſimum portum, ac tranſitum ad vitam. Neque pati poterat Apoſtolus eos, qui ob cognatorum, amicorumque obitum mœrore conficiebantur, dicens, hoc eſſe infidelium poſt mortem nihil expectantium. *Idem.*

Mirum eſt, quod adeo parum de morte cogitetur, quamvis nemo dubitet, ſe aliquando moriturum.

Quamvis nihil naturæ durius videatur, quam moriendi neceſſitas, nihil tamen eſt, de quo minus ſit ambigendum. Nemo hac in re ſeipſum inani decipit ſpe, atque tot ſæculorum experientia, quibus omnes homines ſine ulla exceptione, & privilegio mortui ſunt, hoc omnibus ita perſuadet, ut illi ipſi, ſi ſupra hominum ſortem aſſurgere voluerunt, ſibique veluti numinibus thura adoleri juſſerunt, nequaquam ita dementes fuerint, ut ſe numquam morituros ſibi pollicerentur. Quis autem non putaret, fideles, qui ea, quæ bonam, malamque mortem conſequuntur, norunt, & ſe noſſe profitentur, jugiter terribilibus hujuſmodi objectis intentos eſſe? Et ſane hæc Dei mens eſt illa nobis indeſinenter ob oculos objicientis. Hoc nos ratio docet, quæ efficit, ut in rebus multo minoris momenti hoc ipſum faciamus: attamen hoc illud eſt, ad quod hominum plerique oſcitantius animum advertunt: *Eſſais de morale, tractatu primo de 4. finibus.*

Homines, plerumque morte occupantur.

Nihil morte communius, nihilque infrequentius quam eadem occupari. Plures repente opprimuntur ea morte, quæ proprie ſubita dicitur. Alii iis affligantur morbis, qui rationis uſum auferentes, quamvis non ſtatim inferant necem, eumdem producunt effectum ac mortes ſubitæ, eo quod prohibent, ne ſeſe morti diſponant: *Subitum eſt homini, quod ante cogitare non potuit*, Sanctus Gregorius lib. 15. Moral. cap. 2. Sed quin eos ſpectemus caſus, qui minus vulgati ſunt, quodam in ſenſu dicere poſſumus, omnes fere mortes ſubitas, ac inopinatas eſſe; paucæ enim ſunt, quæ aliquantiſper ante prævideri potuerint. Ædium lapſus vulgo prævideri poteſt; omnes enim illius partes introſpiciuntur, neque deſunt certæ viæ id cognoſcendi, cum dubitatur. Sed humanum corpus moles eſt, cujus machinamenta latent, & quæ repente ruinam facere poſſunt, quin aliquis valeat præſentire. Hic longe a ſe putat mortem abeſſe, qui eam in ſinu gerit; & ille reipſa hoc momento longius abeſt a morte, qui paulo poſt illi proximus futurus eſt. Ad corporis noſtri machinam perturbandam fere nihil requiritur. *Idem.*

Mors rerum omnium privatio.

Ut intelligamus, quid ſit mors, & quos effectus producat, ſatis eſt concipere, hanc eſſe fracturam omnium vinculorum, quibus anima creaturis hærebat; videlicet hanc generalem eſſe ſeparationem omnium ſenſibilium objectorum, omnium voluptatum, quæ ibi inveniuntur, omnium humanarum affinitatum, & denique omnimodam rerum omnium, quæ in mundo amabantur, ſeparationem. Qui moritur, non amittit id ſolum, quod divitiæ vocantur; amittit aerem, terram, ſydera, reliquamque naturam; amittit cognatos, affines, amicos; amittit omnes homines; amittit omnes ſubſidium, & opem, atque generatim omnia ſuarum affectionum, & votorum objecta! *Ibidem.*

De morte cogitandum; ad hoc per intervalla ab Eccleſia excitamur.

Nequaquam fert animus terribilem hic mortis deſcriptionem afferre, neque univerſalem, & inevitabilem illius neceſſitatem probare; quis illam ignorat? & ab ipſis mundi incunabulis aliquiſne ita inſanus extitit, qui eam in dubium accerſeret? Ubique exequias videmus; ſemper lugubrem nolarum ſonitum audimus; in Templa, ubi majores noſtri tumulati ſunt, convenimus: inter tot, ac tam triſtitiam objecta mortis idea nobis in ſingulos greſſus occurrit. Sed veritatem vobis oſtendere cupio, quæ majoris mihi momenti, atque utilitatis videtur, conformem conſilio, quod ſibi proponit Eccleſia, nobis ob oculos ſtatuens mortem adoleſcentis in ipſo ætatis flore prærepti in hujus diei evangelio, vel in Cinerum cæremonia in ipſo Quadrageſimæ ingreſſu. Eccleſia divini ſpiritus lumine ducta, nihil antiquius habet iſta cogitatione: ad hanc nos invitat, & urget, efficitque, ut inde ſalus noſtra pendeat. Cur hoc; quandoquidem nihil frequentius, quam mortuos videre? Quia ſcit nihil vulgatius, & funeſtius nihil eſſe mortis oblivione. *P. Stephanus Chamilard.*

Mors neque cogitanda, neque recipienda eſt more philoſophorum.

Verum eſt. Ethnicos fortitudinem in mortis, ac impedimentum ſibi periculorum contemptu conſtituiſſe, necnon philoſophiam ſuam ſpecioſo nomine meditationem mortis vocaſſe. Sed fidelis mortem eodem pacto ſpectare non debet, neque ob eaſdem cauſas, ut illi, vitæ jacturam conſolari. Aliquo enim in pretio habenda eſt inanis hæc exiſtimatio, qua fruitur apud poſteros, ipſi videlicet non defuiſſe fortitudinem, conſtantiam, firmitatem, & quamdam animo Stoicæ magnitudinem? Inania phantaſmata, quæ Ethnicos fefellerunt, & quibus neſcio an in ipſa etiam Chriſtiana religione plerique eorum, qui militiæ nomen dederunt, ac mortem ipſam tanta audacia provocant, iiſdem ſuam debeant virtutem. Etenim fruſtra hunc ſtuporem ſimulas: ſi oppidum oppugnandum eſt, ſi exercitus in aciem eſt diſpoſitus, & jamjam manus conferendæ ſunt, prima, quæ tibi occurrat, eſt mortis cogitatio: homo vero chriſtianus, homo alioquin prudens, alteramque credens vitam, ruet in apertum mortis periculum? Niſi ſanctus ſit, aut Stoicus, quomodo hoc facere poſſit non intelligo. *Idem.*

Effectus cogitationis mortis.

Si cogitaremus ſerio, mortem eſſe tranſitum a temporali vita ad æternam, certe eum in ſtatum adduci conaremur, ubi in æternum eſſemus beati. Cur? Quia ſecundum cordis noſtri diſpoſitionem, vel vitam hanc tamquam pœnarum, vel tamquam gloriæ, & felicitatis æternitatem reſpiceremus. Numquid tamquam æternitatem pœnarum? Quot ſalutares timores; quot ſanctæ præcautiones! Non ſolum mundi voluptatibus non afficeremur, ſed omnia nobis periculoſa viderentur, omnia ſuſpecta nobis eſſent; nunquam ne pedem quidem tuto proferre exiſtimaremus: minima etiam deſideria noſtra diligenti examine excuteremus; de ipſis ſolatiis, quæ omni culpa vacare creduntur, diffideremus; omnes greſſus noſtros exploraremus; & ut verbo me expediam, ſingula vitæ noſtræ momenta talia efficeremus, quale illud eſſe cuperemus, cum morti proximi erimus, ubi anima noſtra hac tantum incertitudine laborabit. Numquid pœnarum æternitas pars erit mea? Oportet eo in ſtatu fuiſſe eum, qui omnem illius terrorem velit exprimere. Immo nullus ſcio, utrum fieri poſſet, quod diutius vitam produceret homo, qui indeſinenter ſerio hoc vellet meditari. Saltem teſtatur hiſtoria inſignes ſanctitatis viros hac moditatione ad extrema fuiſſe redactos, & niſi illos ſuſtinuiſſet Deus, eorumque timores imminuiſſet, aliis lætioribus conſiderationibus, illos reipſa fuiſſe morituros. O beatum animæ ſtatum, ubi fieri ferme non poteſt ut ſeſe aliquo ſcelere polluat. Tu ipſe, o Deus, per os Eccleſiaſtici *cap.* 7. id nobis promittis: *Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis*; quibus S. Bernardus addit: *Nimirum quod hæc cogitatio maxime faciat timoratum, timor expellat peccatum, negligentiam non admittat. Idem.*

Quid fiet ſi mors tamquã æternitas beata conſideretur.

An tamquam beatæ æternitatis principium mortem conſiderabitis? Tunc quotieſcumque vos mortales eſſe cogitabitis, cor veſtrum ſupra mortalia, & ſenſibilia aſſurget, ardentibuſque votis in illam evolabit gloriam, ad quam anhelabit. Quod inter æternæ illius, & terrenæ hujus vitæ bona diſcrimen! Ibi pura vobis videbuntur, ſine mali immixtione, æterna; hic vero e contra in oculis veſtris erunt veluti imperfecta, tranſitoria, craſſa; vel melius dicam, inania, chimærica, apparentia; tunc tantum aberit, quod cor veſtrum humi repere, ac perituris objectis noxiæ adhæreſcere patiamini, ut ægre, gravateque eam illis curam, quam neceſſario ſtatus viatoris efflagitat, impendatis. Ita naturale homini eſt felicitatis deſiderium, ut hi properantis animæ impetus non percipi nequeant. Licet etiam non iiſdem ageremini ardoribus, quibus Apoſtolus, ut in illa erumperetis verba: *Deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*: ad Philipp. 1. quamvis illum perfectionis apicem nondum eſſetis aſſecuti, ut nullum iſtic ſolatium inveniretis, niſi in ſpe, quod finis veſter propius adſit; quamvis impatiens cupiditas unico, ſupremoque bono perfruendi nata non eſſet, cum regio Propheta de vitæ diuturnitate conquereremini: ii tamen impetus eſſent, qui nonniſi electas, primique ordinis animas decent. Saltem hoc honore vos dignos præſtare ambiretis, nihilque negligeretis eorum, quæ vobis ad eumdem aditum poſſent aperire. *Idem.*